HERMANNI RAYANI VVELSDALII,

Commentarij in Panegyricum C. PLINII SECVNDI.

Nunc primùm in lucem editi, & Indice plenißimo illustrati.

Ad generosos clarißimósque Guadaneos fratres.



LVGDVNI,
Apud Sebastianum Barptolomæi Honorati.
Cum priuilegio.

HERMANNI RAYANI VVELSDALII,

Commentarij in Panegyricum C. PLINII SECVNDI.

Nunc primùm in lucem editi, & Indice plenißimo illustrati.

Ad generosos clarißimósque Guadaneos fratres.



LVGDVNI,
Apud Sebastianum Barptolomæi Honorati.
Cum priuilegio.

AMPLISSIMIS

Magnificentiſsimiſq; fratribus, Guliel-
mo Guadaneo, Lunelli Baroni, ſancti
Victoris Domino, Regio ſenatori, eiuſ
dem Regis Chriſtianiſsimi à Cubiculis,
Lugdunenſis prouinciæ Præfecto cla-
riſsimo: Et Thomæ Guadaneo Beau
regardi Domino, necnon illu-
ſtriſsimi Delphini Franciæ
à Cubiculis, Hermannus
Rayanus Vuel-
ſdalius

S. P. D.

Antus eſt ſtudiorum hu-
manitatis, & omnium lite-
rarum politiorum ſplẽdor,
támque incredibilis volu-
ptas, Viri ornatiſsimi, vt qui in eis à pri
mis ætatis temporibus, rectè, probé-
que informati fuerunt, non poſsint non
eas vnicè & amare, & amplecti. Etenim

præter variam, multiplicémque delectationem, qua attenti lectoris animum recreant atqꝫ reficiunt, maximarum quoque rerum cognitionem suppeditãt. In quibus cùm præclara ingenia à puero succum aliquem imbiberunt, eísque aliquamdiu sub optimis informatoribus innutriti fuerunt, cùm ad robustam illã iudiciíque solidioris ætatem, quæ multum exhaurire laboris, multum operæ ponere in rebus arduis & difficilioribus potest, peruenerunt: tum solent animos suos ijs explere fontibus, quos priùs primoribus labris, & extremis (vt aiunt) digitis attigerunt. Vt enim rudis illa ætas per inuolucra & integumenta (tãquàm mercibus nondum explicatis) omnia perspiciebat: ita cùm longiores progressus in studijs fecit, tũ demũ omnia plenè, & per omnes numeros cognoscere incipit. Nam tũc ingenium literulis illis interioribus & politulis alitur & fouetur: Iudicium multa lectione

assiduo studio, altissima prudentia, multisque rerum experimentis cõfirmatur: memoria, omniũ eorũ quæ in exhaustis cõsequimur laboribus, fidelissimus custos, exercetur: Stylus etiam qui egregius dicẽdi magister est, multa scriptione, meditatione, actione (quæ eius comites sunt) suã assequitur maturitatem. Ad hæc, omnibus incredibilis quædam vis à natura insita est, vt id quod rudibus annis inchoatum, impolitum, & tantùm primis delineamentis designatum erat, absoluant, atque perpoliant. Nam cùm sit propria hominis veri inquisitio & inuestigatio, in ea excellere pulchrũ ducit: labi, errare, decipi, turpe & inhonestum. Vnde à Cicerone non minùs verè, quàm grauiter dictum est, mentibus hominũ insatiabilem quandam inesse cupiditatem veri videndi. A' cuius sententia non multum abhorrere mihi videtur, quod Aristoteles incredibili ac diuina mẽte vir, statim in vestibulo pri-

mi libri primæ philosophiæ, in hæc verba scribit: πάντες ἄνθρωποι εἰδέναι ἐπιθυμοῦσι. Cui accidit celeberrimus ille Senarius: οὐδὲν γλυκύτερον ἐστιν, ἢ τοῦτ' εἰδέναι. Nec profectò iniuria. Natura enim omnes homines finxit, formauitq; non ad humiles, abiectásq; curas, sed ad illam absolutam scientiæ, atq; virtutis ideam consequẽdam. Quę cùm ita sint, clarissimi Viri, nemo mirari debet, vos etiamnum immortalitatis gloria, & eximio literarum amore flagrare. Siquidem ea virtutis rudimenta & scientiarum semina à pueris, ab eximijs & omnibus dotibus literarijs absolutissimis præceptoribus percepistis, quæ in hodiernũ vsque diem non minori studio, industria excolitis atq; fouetis, quã in ea prima & puerili ætate. Adeò à teneris assuescere multum est. Huius præclari instituti vestri magnam laudis partem, imò penè totam decerpit pater vester: quem inuida Fata (vt optima quæque) immatura morte, vitæ retinacula abrũpere coëgerunt. Vir magni iudicij, magni consilij, magni authoritatis, honoratus, expositus omnibus, omni humanitate plenissimus: Nõ solùm sui simiiliũ, verùm, etiam posterorum omnium vnicum ornamentum. Quanta authoritas in eo residebat? Quanta in vultu maiestas? Quanta modestia, ingẽtibus iuncta opibus? Hæc natura dissimillima sunt, & ægrè eundem exornant hominẽ. In eo tamẽ quàm cõsenserint, quàm eluxerint, non facilè quisquã verbis cõsequi posset. Et quemadmodũ Iupiter sibi ascisciť Prometheũ, & vicissim Prometheus Iouẽ consectatur: ita sapientia potentiã, & potẽtia sequitur sapiẽtiam. Quod vt verissimè à diuino Platone dictũ est, ita ego experimento didici, patrem vestrum haud vulgarem prudentiã summis iũxisse opibus. Domus eius in nobili Auenionensi Academia, tanquam vnicũ ciuitatis oraculum erat. Si q̃s opibus egebat, ibi cumulatè accipe-

re licebat. Si quis rebus arduis implicitus ac impeditus, prudentia & salutari egebat consilio, domi vestræ, quem consulere poterat, habebat. Qui benigniori fortuna vtuntur, ferè insolescere & magnos spiritus sumere solēt, omnes præ se aspernari, pecunijs nihil non expugnare. Eorū enim animus ab immodicis opibus (vt Aristoteles ait) & conturbatur, & excęcatur. At hic quāta moderatione in maximarū rerū summa affluētia vsus est? Quanta in Deum pietate? Quàm effusa in tenues liberalitate? Quāta in ciues, in suos, in omne hominum genus humanitate? Quā ampla & præclara eius in Rempub. merita? Quā magnum & propensum in doctos studiū? Sed me tempus deficeret, si omnia quæ in eius laudem veram dici possent, commemorare vellem. Hoc tantùm dicam, verè eum fortunatū fuisse. Ex eius enim ampla & splendida fortuna, nō minor ad omnes, quàm ad eum ipsum glo

ria permanauit. Viuit itaq; viuit, & nomen eius vt immortalitati consecratum, ita ad posteros, quò non perueniet inuidia, durabit. Huius sapientis parentis quàm vos pulchrè mores exscripseritis, nullum aliud mihi locupletius testimoniū occurrit, quàm vos non solū in eius incurrere vestigia, sed etiā nominis celebritatem ab eo acceptam, augere, amplificare, ornare. Quemadmodum enim mors eius vobis acerba, & luctuosa fuit: ita vobis in primis est gloriosum paternæ gloriæ & virtutis hæredes existere. Rectè enim Demosthenes: λυπηρὸν παισὶν ὀρφανοῖς γεγενῆσθαι πατρός. καλὸν δέ γε κληρονομεῖν πατρῴας ἐνδοξίας. Idque non commodius vos facturos sperastis, quā si probatos authores & pręcipuè scriptores rerum, studiosè, sæpe, & attentè euolueritis. Verùm cū historiarum scriptores, alij vrbium & populorum res gestas conscribant: alij principū mores & ingenia, alij denique ea potiùs quæ ad oblectamenta & se-

riarum curarũ auocamenta faciunt, memoriæ prodere soleãt ita prudẽter vestra regere didiscistis studia, vt vos planè penitúsq; in omnẽ historiæ partẽ, iudicio insinuaueritis. Vt enim diuersis scriptoribus, diuersum propositũ est argumentũ: ita quoq; diuerso stylo & elocutionis genere vtũtur. Qui res præclarè gestas, aut dicta memorabilia, posteris scriptione tradũt, sublimi & grãdiloquo orationis genere vti cõsueuerunt. His enim copiosa & varia materia, orationis quoq; suppeditat splendorẽ. At qui cuiusq; vitã & mores describũt, exilius presiúq; dicẽdi genus, ob rerũ tenuitatẽ, sequũtur. Deniq;, q̃ tertiũ illud oratiõis munus (nimirũ delectare) amplexi sunt, eorũ oratio casta, pudica, & ab omni ostẽtatiõe est remotissima. Ex his omnibus vberes illi honestatis fontes scaturiũt. Siue em̃ quis in veri solertia, siue in hominũ societate tuenda, siue in magnitudine excelsi animi, siue in omniũ rerũ ordine, ac modo versari velit: his cãpus est apertus, in quẽ eius virtus spatiosissimè excurrere põt. His rebus qui probè septus atque munitus est viã sibi strauit ac aditum muniuit ad oẽs sublimiores & grauiores disciplinas nullo negotio percipiẽdas. Hæc em̃ studia, morũ disciplinã cõplectũtur, quã ego in omnibus antecedere debere semper existimaui. Quẽadmodũ enim Pli. monet eloquẽtiã malè sine moribus disci: sic meũ semper fuit iudicium, nihil sine moribus planè nos discere posse. Iã verò q̃ vberẽ fructũ ex historiarũ lectione colligamus, nemo nescit. In his nempe spirãs illa & viuida est philosophia, magnorũ virorũ magnis exẽplis illustrata. Hęc aũt oculos docẽt: tenuia, ieiuna, nuda Philoso. p̃cepta aures tm̃ imbuũt, & ad magnas res gerẽdas nõ magis cõducũt, q̃ illa sinuosa & pplexa de ideis Plato. in scholis Philosophorũ disputatio. Ad hęc si antiqtatis cognitionẽ luris consul-

consulto detraxeris, infantem quendã & formularium relinques iuriscõsultũ. Cuius ignoratione quàm multi perniciosi errores in eam nobilẽ irrepserint scientiam, hi norunt qui eã vel à limine salutarũt. Nec cõmemorare volo, sacro sanctam Theologiã, vitæ nostræ rectè instituendæ & informãdæ perpetuã & continentem habere historiam. Sed ne longiùs ab instituto nostra aberret oratio, in scriptoribus rerum consistamus. Quàm nos oblectat (id quod coràm conspicere non potuimus) cũ magnos heroẽs legimus lustrare exercitum, manus cum hoste cõserere, in fugam eum conuertere, & ad internicionem pugnãdo, amplissima referre spolia? Quã nos reficit, cùm vrbes exædificatas, Respub. constitutas, legibus fundatas, Magistratibus ornatas fuisse legimus? Quàm iuuat, nos ea condiscere in dulcissimo literario otio, quæ alij nobis imitanda non sine vitæ discrimine tradiderũt? Multi suauitate adducti, poëtarum fabulamẽta multum diúque legũt. Quãtò igitur nos magis historijs incumbere decet? Cùm apud Homerũ, omniũ fabularum parentẽ, & (vt Plato ait) omnium poëtarum optimũ & diuinissimũ, Vlyssis, Menelai, Nestoris, eloquentiã, Achillis probitatẽ legimus, oblectamur. Quãto ergo amore verarum historiarum incendi nos oportet? Si Alexãder ille magnus tantopere delectatus est suo Homero, vt semper sub puluino haberet? Si Alcibiades ludum literarũ ingressus, ludi magistro colaphum infregit, quòd Homerico opere careret, quàm flagranti desiderio Titum Liuiũ, Cornelium Tacitum, Suetonium Tranquillũ, & cæteros primariæ notæ historiographos lectitare debemus? Historia enim est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nũtia vetustatis. Ex hac præterita intelligimus, & futura, tanquàm in specula excubias agen-

grauerint hi, qui historias scripserunt. Hinc cognoscitur qua ratione alij famã suam ad posteros extenderunt: alij in altissimo iacuerunt silentio. Quod animaduertens M. Tullius candidatus immortalitatis, res suas à L. Luceio celebrari cupiebat. Plinius secundus, Taciti historijs inseri volebat: eas em̃ immortales fore augurabatur. Titus Liuius politus & grauis scriptor, Claudium Imperatorem vt historiã scriberet, inhortabatur. Probè enim nouerat historias, rerum, morum, oblectamentorum esse speculum. Et (vt vno verbo multa complectar) Thucydides historiæ autor grauissimus monet, historiam thesaurum esse, quem nunquàm de manibus deponere debeamus. Hæc pluribus ac copiosiùs, nobilissimi ornatissimiq; viri, de historiarum cognitione cõmemoraui, quoniã de multis didici vos, vt omnis virtutis, ita antiquitatis amantissimos studiosissimósque esse. cui si flexa-

nimam illam & omnium rerum dominam eloquentiã, qua nihil in hominum genere rarius inueniri potest, adiunxeritis: polliceor futurũ, vt aut in summos euadatis, aut multos infra vos positos esse videatis. Et hic Panegyricus nullo antiquorum scriptorum inferior est. In quo quisquis multum operæ posuerit, præter innumeras historias, absolutam eloquentiã, principum mores, tanquam in speculo intuebitur. Et quod alij scriptores numerosis voluminibus cõplexi sunt, id compendio apud Plinium discere licebit. Etsi enim diuitijs opibúsque (quæ certum morum dant experimentum) diuinitus circunfluitis, multò tamẽ prestantius, nobilius, preclarius ducitis, sapientia & maximarũ rerum cognitione alios, quàm fortunæ cõmodis anteire. Ea enim res animum generosum & principibus dignum, lõgè latéq; ostentat. Vnde etiam qui veram illam degustarunt sapientiam, alijs præesse, alios

regere (quod planè regium est) volũt. Id quod Aristotel. his verbis expressit: Καὶ ἐπεὶ τὸ ἄρχειν, ἥδυστον, καὶ τὸ σοφὸν δοκεῖν εἶναι, ἡδύ. ἀρχικὸν γὰρ τὸ φρονεῖν. ἔστι δ' ἡ σοφία πολλῶν καὶ θαυμαστῶν ἐπιστήμη. Et ad Alexandrum discipulum suum: ὥσπερ ὁ στρατηγός ἐστι σωτὴρ στρατοπέδου, οὕτω σοφία μετὰ παιδείας ἡγεμὼν ἐστι τοῦ βίου. Macti igitur hac laude præstantissimi viri estote. Et in ea studia quæ amatis, colitis, suspicitis (vt certè facitis) incumbite. Nam hæc præclara eximiáque studia generosorum hominum generosos animos in spem magnarum rerum eriguntatque incendũt: socordiam, ignauiam, desidiam, quibus multi indormire solent, profligãt, propulsántque. Totum hominem ita afficiunt, vt non nisi præclara meditari, & æterna memoria digna facere: conetur studia enim, vt verè Græcæ facundiæ princeps Demosthenes docet, in mores abeunt, cuius verba hîc non citarem nisi ille ea tanquàm aurea & in tertia olynthiaca, & in oratione περὶ συντάξεως inculc

culcasset: ἔστι δ' οὐδὲ ποτ' (οἶμαι) μεγὰ καὶ νεανικὸν φρόνημα, λαβεῖν, μικρὰ καὶ φαύλα πράττοντας. ἡποῖ' ἄττα γὰρ ἂν τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ᾖ, τοι οὗτον ἀνάγκη καὶ φρόνημα ἔχειν: Huic rei luculentum hoc est testimonium, te Gulielmum Lugdunæum, ob raras has & heroicas virtutes, nuper omnium applausu & suffragijs, Lugduni præfectum renũtiatum fuisse. Omnésq; in eam eriguntur spem, te tuam hanc Rempub. in qua natus educatúsque es, quæ'q; in tuum sinum tanquàm charissimi filioli confugit, ex omnium vtilitate recturum. Huic enim tu ἀνακαινιστὴς καὶ ἐπανορθωτὴς diuinitus es cõseruatus. Hęc quoque oratio animos vestros ad præclara facinora tam publicè quàm priuatim exuscitare poterit. Et maiorem capietis ex Pliniana idẽtidem repetita lectione, voluptatem. Est enim Plinij Secundi dictio pura & elegans: Nimirum qui eloquẽtissimo præceptore & grauissimo studiorum cẽsore, Quintiliano vsus est. Accedit etiam, doctissimorum hominũ

consuetudo, Cornelij Taciti, Suetonij Tranquilli. Qui, vt omnes æquales fuerunt & sub Traiano floruerunt: ita eo seculo quo lingua Latina corrupta, instauranda & emaculanda erat, eruditionis miracula & eloquentiæ lumina extiterunt. Nulla flagrabant inuidia, quæ nunc latissimè serpit, sed concordia, simplicitate, fide, de gloria & honore certabant. Nec quenquam ab horum lectione reijcere debet, quòd acerrimi Christiani nominis hostes fuerint. Ab his enim nõ vitæ nostræ institutionem, sed sermonis puritatem & copiam exemplorum, quæ Aristotele teste, plebeijs hominibus norma & regula sunt, petimus. Cæterùm non eo animo hæc conscripseram, ut inuulgarem, sed vt indicis vice rerum quarũdam memorabilium, quas in hac oratione multa lectione obseruaueram, apud me essent. Nihil enim hoc docto seculo tam politum, limatum, & numeris omnibus est absolutum, Lydióq; examinatum lapide, quod non in multas incurrat reprehensiones. Adde etiam, id quod quis hoc tempore quo omnia dissentientium certaminibus exposita sunt, in manus hominum daturus est, multum diúque amicorum doctorúmque iudicio non trutina popularí, sed aurificis statêra, & tanquam ad libram Critolai examinandum perpẽdúmq; esse. Verùm cũ amicí acrius vrgerẽt, & hoc quicquid erat mearum Lucubrationũ ardentius efflagitarent, patronos fidos, constantes, potẽtes meq; conquirendos esse caussæ existimaui. Quorum patrocinio fretus & tutus, lubricam ancipitémq; iudiciorum aleam subirem. Etsi autem optimè mihi conscius eram hoc leuidensæ & literarium munusculum vestro nomine, vestráque authoritate minimè dignum esse: tamen vt hoc vestro sub nomine in lucem emitterem, singularis eximiáq; vestra humanitas, qua neminem non literarum studiosum

diosum amicè amplecti cõsueuistis, effecit. Nihil enim habet splẽdida amplãq; vestra fortuna maius, quàm vt posſitis, nec natura melius: quàm vt velitis complures eximios literarum alumnos in vestram tutelam patrociniúmque suscipere. Valete optimi integerrimíque fratres; & hoc quicquid est muneris, eo quo offertur à me animo hoc est candido, syncero, germano suscipite.

Valete & me constanter vt facitis, amate.

Lugduni ad confluentes.

Eiusdem Hermanni Rayani Vvelsdalij ad eosdem fratres,

EPIGRAMMA.

Docta legunt omnes facundi dogmata Tulli,
Et teritur totis Liuius in pluteis.
Intonat ille suas verborum incendia voces,
Hic docet historias Eloquiúmque simul.
At Ciceronem ipsum me iudice Plinius æquat,
Cedere nec Patauo vellet in historia.
Vos igitur quibus historiæ monumenta probantur,
Et quos impensè suademedulla iuuat,
Hoc opus excipite, & totis incumbite remis,
Prosperet vt cursus gratior aura meos.

ΤΟΥ̃ ΑΥΤΟΥ̃ ΕΙΣ ΤΟῪΣ ΑΥΤΟΎΣ.

Πάντες ἐπαινοῦσιν φανερῶς παιδεύματα πολλὰ,
Παιδείαν τ' κ' ἀρετὴν, ἀλλά τε καλὰ σφόδρα,
Λαμπότερον σοφίαν τούτοιν πολλῷ τε καλοῦσιν.
Αὕτη ἐκφράζει πάντοτε πάντα βίβλος.
Ὑμετέρας ἀρετῆς λάμπρον λαμβάνετε ταῦτα
Ἄνδρες γενναῖοι, γράμματα, μνημόσυνον.

AD GENEROSOS nobilissimósq; Guadaneos fratres Nicolaus Edoardus.

Gens Romana suos ornat celebrátq; gemellos:
Vnde sŏlum & nomen Fata dedêre sibi.
Inclyta Lycurgum meritò Lacedæmon adorat:
Cecropidæq; σοφὸν iure Σολῶνα colunt.
At uos, ô Fratres, nati felicibus ouis,
Re plumáque paterna, quibus alta subest
Mens uirtutibus exornata in corpore pulchro,
Pandôram æquatis uiribus, arte, loco.
Vos diuos faciet, summóq; locabit olympo
Hermannus, modò perculta camœna siet.
Orator uester γνῶμας, ἀξιώματα fundet,
O' Fratres. ἄβιος docta Minerua iacet.

IVLIANI VACCAEI ad Hermannum Rayanum Vuelsdalium praeceptorem suum,

EPIGRAMMA.

Te tua mortalem mater genuisse putabat:
Nunc immortalem te genuisse sciat.
Diuitiæ Regum nec magna potentia rebus
Eximium hoc summum non peperêre bonum:
Maxima sed uirtus nocturno parta labore,
Impensa multa sedulitate diu.
Mirentur Iuuenes uestrates magna sequentes,
Exemplum capiant, & tua facta probent.
Tu decus omne tuis, patriæ lux maxima terræ,
Inter mortales tu quoque nomen habes.
Te Christo precibus commendet turba bonorum,
Qui te fortunet, prosperet atque regat.

ARGVMENTVM IN PANEGYRICVM PLINII Secundi, per Hermannum Rayanum Vuelsdalium.

VM Traianus Imperator C. Plinium secundum Nouocomensem unà cum Cornuto Tertullo consulem renuntiasset, ei Plinius in Senatu hac luculenta oratione gratias egit. Hic Plinius nepos erat ex sorore C. Plinij, qui spatiosum illud & diffusum opus de naturali Historia posteritati reliquit. Qui tanto flagrabat literarũ amore, ut omne tempus sibi perire existimaret, quod uel studio, uel meditationi, uel auditioni non impẽdisset. Quæ de re extat erudita epistola & æterna memoria digna huius Plinij nepotis, libro Epistolarum III. cuius initium est, Pergratum est mihi &c. Quam si adolescentes partim luxu perditi, partim otio diffluentes, studiosè euoluerent, discerent profectò quanta sit parsimonia, temporis esse parcissimum, & ad meliorem frugem se reciperent. Hic Traianus, Vlpius dictus est, ab Auo: Traianus uerò à Traio paterni generis autore, uel de nomine Traiani patris sic appellatus fuit. Cocceius Nerua decimus tertius Imperator, Traianum ad Imperium euexit. Traianus itaq; decimusquartus Imperator regnauit annos nouemdecim & menses sex. Primus hic inter alienigenas Imperatores fuit, erat enim non Italus, sed Hispanus genere, à Nerua cũ apud Coloniensis Dux esset, in Imperium assumptus. Probitate adeò spectata fuit, ut posteà semper quoties Imperator designaretur, publicis uotis optari soleret, ut felicitate Augustũ, probitate Traianum adæquaret. Cùm præfectũ prætorio designasset, gladium ei in manum porrexit, hæc uerba subijciẽs:

Vtere

Vtere hoc gladio aduersus hostes meos in iustis causis, sin minus iustè egero, tu in meipsum stringito gladium. Nunquam Romani tam latè imperij sui fines extenderunt, atque sub hoc principe. Huius hoc fuit memorabile ἀπόφθεγμα, Sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobique prudentia. Talem denique Reipub. se præbuit, qualem uix ægré q; exprimere ualuerunt summorum uirorum admiranda ingenia.

De genere causæ.

GENVS huius orationis Demostratiuum est. Et si enim laudibus Traiani oratio destinata nõ est, sed gratiarum actioni: tamen quia summũ beneficium, quod Plinius à principe accepit, magnis laudibus celebrat, idcirco encomiastica oratio dicitur. Argumentorum loci ferè ex honesti fontibus sumuntur. Honesti formas ad hoc genus pertinentes Aristotel. 1. Rhetorico. ad Theodocten enumerat, Iustitiam, fortitudinem, prudentiam, magnificentiam, magnanimitatem, liberalitatem, mansuetudinem, sapientiam. In quibus omnibus uirtutibus ut Traianus mirum in modum enituit: ita etiam Plinius eum ab his laudat. Honestũ enim, finis est generis demonstratiui. Id quod Arist. his uerbis indicat τοῖς δ' ἐπαίνοσιν καὶ ψέγοσιν τὸ καλὸν, καὶ τὸ αἰσχρὸν τέλος ἐστί. Plin. quoq; admiscet argumenta ex corporis bonis, & fortunæ commodis sumpta. Generis suasorij in hac oratione etiam imago quædam est. Nam Plinius cæteros cohortatur ut ad similem gloriã Traiani exemplo contendant. Nec id mirum uideri debet, nam tria ea genera causarum quæ tam longè latéq; fusa, tam breuibus astrinxerunt, mutuis auxilijs, (authore Fabio) stant omnia. Huic rei argumento est nobilis illa pro M. Cælio oratio, ut ex sexcentis exemplis unum proferamus. Quæ & potißimùm generis iudicialis est, crebræ tamen laudes Cælij & aliorum uituperationes aspernantur. Quid autem ipse Plinius Secundus de artificio huius orationis censeat, ipse docet epistola decimatertia libri tertij epistolarum.

De statu & Quæstione.

GENVS demonstratiuum statũ ex conflictione causarũ nõ habet, sicut in genere iudiciali, sed Thema aliquod habet, ad quod omnia tanquàm ad κεφαλαιον γενικώτατον referuntur. Id est, Traianus ob summũ beneficiũ in Plin. collatum, summis laudibus est afficiendus, & ei gratiæ agendæ sunt. Rodolphus Agricola uir omnibus dotibus literarijs absolutus, libro secundo de inuentione Dialectica docet, in ea oratione quæ unius est partis, & obsequentem habet auditorem, (qualis est oratio generis demonstratiui) trium rerum consideratione, personarum, rei, & conatus statum erui posse. Quem autorem si studiosa iuuentus sedulò euolueret, uberes profectò & diuturnos ex eo caperet fructus.

De partibus orationis, & genere dicendi.

ORATIONIS partes propter ingentem rerum uariarum cumulum, tam anxiè distinctæ non sunt. Exordium habet liberius, ut in laudatione fieri consueuit. Subsequitur propositio quæ in nulla oratione (ut Aristoteles tertio Rhetoricorum autor est) omitti potest. Deinde additur narratio, quæ factorum expositionem continet: & in qua tota ferè oratio consumitur. Conficitur enim hoc genus dictionis (inquit Cicero in partitionibus) narrandis exponendisq; factis. Quod sine ullis argumentationibus ad animi motus leniter tractandos, magis quàm ad fidem faciendam confirmandámq; accommodatur. Accedit amplificatio, quæ in hoc genere dominatur. Laudis enim proprium

prium (quemadmodum Quintilianus ait) est, res amplificare & ornare. Adduntur crebræ malorum Cæsarum comparationes, quibus orationem Plinius ualde illustrat. Ad ultimũ additur conclusio in qua paucis argumentorũ capita perstringit, & omnem suam operam Traiano pollicetur. Genus dicendi magna ex parte graue. Habet enim uerborum grauium magnam & ornatam constructionem, crebras translationes, graues sententias. Tota denique oratio ut magno Heroi dicata: ita Heroicam quandam (ut ita dicam) eloquentiam & maiestatem præ se fert.

De inscriptione paucula.

CAII Plinij secundi Nouocomensis. Hic Plinius dictus est Nouocomensis à Nouum como Italiæ oppido, quod Cæsar sibi tributarium cum in Gallia bellum gereret, fecerat, eóq; Coloniam deduxerat. Quod oppidum M. Marcellus consul Cæsari adimendum esse tanquam ultrà præscriptum datum Senatui Romano suasit. Qua re M. Marcellus magnum Cæsaris sibi conflauit odium. Inituri nouum consulatum] Quẽadmodum Plinius ad summum honoris gradum à Traiano cooptatus fuit: ita etiam pro tanto beneficio hac præclara oratione, gratias illi cumulatè agendas esse existimauit. Est autem inire consulatum, auspicari dignitatem consularem. Panegyricus Traiano Augusto dictus.] πανήγυρις apud Græcos dicebatur solennis ille populi conuentus, ad ludos festos celebrandos, uoce hinc composita, quòd festis diebus uniuersi conuenirent. Vnde factum est tritum sermone pro uerbium, κακῶν πανήγυρις, de malis agminatim ingruentibus & sibi succedentibus. Hinc πανηγυρικοὶ λόγοι, hoc est orationes laudatoriæ, quæ in huiusmodi conuentu, uel de laudibus Græciæ uel de laudibus eorum qui fortiter pugnando in bello cecidissent. Quintil. libro III. capite IIII. An quisquam negauerit Panegyricos ἐπιδεικτικοὺς esse? Atqui formam suadendi habent & plerunq; de utilitatibus Græciæ loquuntur. Vt caussarum quidem genera tria sint, sed ea tum in negotijs, tum in ostentatione posita. Traiano Augusto dictus.] Cæsar Octauius, primum Augustus ob egregias victorias, dictus est. Inde reliqui ab eo Cæsares Augusti cognominati sunt, cum ob singularem eorum uirtutem, tum ob præclara uel in suos, uel in uniuersam Rempub. merita. Autor Suetonius Tranquillus in Augusto. Sic Iustinianus Imperator à Senatus Augustus appellatus est.

Totius orationis summaria sententia.

TOTA oratio duo capita in uniuersum complectitur. Vnum, quo Plinius Traiani Imperatoris uirtutes eximias ueris commendat laudibus. Alterum, quo futuros principes nõ quasi a magistro, sed sub exemplo præmonet, qua ad eandem gloriam uia niti possint. Hæc duo Plinius miro amplificat artificio. Nam primò commemorat ea, quæ adoptionem Traiani præcesserunt: secundò, ea quæ in adoptione gesta sunt. Tertiò, ea quæ adoptionem secuta sunt. In his quæ adoptionem præcesserunt, Plinius mirabiliter laudat Traiani modestiam quòd inuitus penè ad Imperium assumptus sit. In adoptione Plinius uehementer commendat adoptionem non clàm nec occultè, sed coràm ipso Ioue factã esse esse. In his, quæ adoptionẽ secuta sunt, longè latéq; uagatur oratio. Res in Germania strenuè gestas, ingressum in urbem magnificum, liberalitatem inauditam, spectacula celebrata, testamenta conseruata (quæ authore Plinio speculũ morum sunt) cõmemorat. Quadruplatorum spectaculum & exilium illustri describit oratione

tione. Leges (quas Homerus à Ioue ortas ait) defensas pulsos adulatores, parẽtes liberis, liberos parẽtibus, seruos dominis, dominos seruis conciliauit. Deinde excurrit in locũ cõmunem, difficile esse successorem Traiano dignum reperire. Traianus fouet bonos, alij sceleratos studia sub eo spiritum & sanguinem receperunt, eisq; honorem habet. Domus eius ciuitatis uelut oraculum. Aditus facilis. Sumptus moderati in ædificijs. Traianus uera & solida laude non inani honore & adulatione lætatur. Libera potestas est sententiæ in senatu dicendæ. Traianus consul designatus tanta usus est moderatione, ut se nemini prætulerit, sibi æquales esse omnes uoluerit. Nobilitatem quam Tyranni propè extinxerant, illustrauit, auxit, amplificauit. Mira laus uerarum acclamationũ senatus & populi. Venationis studium, nauigationis oblectationem breuiter, & luculenter exprimit. Honorem Traiano ab uxore Plotina, & Martiana sorore habitum, describit. Solidum explicat gaudium, quod Traianus ex suo & Cornuti collegæ consulatu percepit. In hæc capita si oculatè inspexerimus, planè cognoscemus qualis Traianus in imperijs, in Magistratibus, in Repub. regenda, domi militiáque fuerit. Hæc propterea subieci, ut diligens lector aliquid in tanta rerum uarietate, in quo mens eius acquiesceret, haberet.

C. PL. SECVNDI
NOVOCOMENSIS, INITVRI
nouum consulatum, Panegyricus Traiano Augusto dictus.

Recèns per Hermannum Rayanum Vvelsdalium Commentarijs illustratus.

BENE, ac sapienter maiores instituerũt, vt quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus caperetur, quòd nihil rite, nihílque prouidenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.

COMMENTARIVS.

1. Bene, ac sapienter.] Exordiũ hoc sumptũ est à more quem in initijs rerũ ueteres obseruare solebant. Est etiã similitudo, quæ sic explicanda est: Quemadmodũ ueteres prudẽter instituerũt, ut hi qui res tractandas aggrediũtur uota facerent: ita etiã sapienter factũ est ut hi qui dicunt à precatione exordiantur. Antiquitus enim in rebus gerendis, & potißimùm ad exemplum pertinentibus, Deos propitios habere (qui facientes ut est in prouerbio adiuuant) operæpretium esse existimabant. Id ex more apud Romanos esse cœpit post collegium Augurum institutum. Horum testimoniorum plena sunt omnia. Nobis tamen pauca sufficient: Valerius maximus libro secundo capite primo, idem libro primo capite primo de cultu Deorũ, huius rei nominatim meminit. Et Cicero in oratione pro Murena. Demosthenes quoq; initio orationis περὶ στεφάνου. Socrates apud Platonem in Timæo ad hunc modum iubet Timæum dicendi initium facere: Τελέως τε καὶ λαμπρῶς ἔοικα

ἀνταπολήψεσθαι τὴν τῶν λόγων ἑστίασιν. σὸν οὖν ἔργον λέγειν ἂν εἴη ὦ Τίμαιε, τὸ μετὰ τοῦτο ὡς ἔοικε, καλέσαντα κατὰ νόμον θεούς. Et paulò pòst: Ἀλλ' ὦ Σώκρατες, τοῦτό γε δὴ πάντες ὅσοι καὶ καταβραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν, ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος θεὸν ἀεί που καλοῦσιν, ἡμᾶς δὲ τοὺς περὶ πάντος λόγους ποιεῖσθαί που μέλλοντας, εἰ γέγονεν, ἢ καὶ αἰγεννές ἐστιν, εἰ μὴ παντάπασι παραλλάττομεν; ἀνάγκη θεούς τε καὶ θεὰς ἐπικαλουμένους, εὔχεσθαι πάντας κατὰ νοῦν ἐκείνοις μὲν μάλιστα, ἑπομένως δὲ ὑμῖν.] Hunc locum Plato quoque libro IIII. de legibus, & octaua epistola ad Dionis propinquos, inculcauit. Huius ipse insignem adfert rationem, Deus enim omnium rerum principium, medium, & finem continet. Frequens apud Liuium in concionibus est, Quod felix faustúmque sit senatui populóque Romano. Bene.] Id est, utiliter. Sapienter.] Id est, prudenter. Laudabilem fuisse eam consuetudinem significat, nimirum utilem & prudentem. Patres cōscripti.] Patres authore festo Pompeio dicti sunt qui sunt patritij generis. Conscripti, qui in senatu erant patribus annotati. Cum Romulus enim cētum Senatores creasset, ij qui posteà huic numero adscripti sunt, patres conscripti dicti sunt. Allecti etiam dicebantur, qui propter inopiam Senatorum ex equestri ordine in senatum assumebantur. De hac re legendus est Budæus in l. ultima de senatoribus. uir profectò præter magnarum rerum cognitionem omnis antiquitatis peritißimus. Maiores instituerunt.] Boni authores omnes maiores eos uocant, qui ante nos fuerunt, quemadmodum minores, nostros posteros. Qua de re uidendus est Paulus Iurisconsultus in l. Iurisconsultus. §. parentes autem. de gradibus & affinitatibus, libro Pandectarum trigesimooctauo. Quod nihil rite, nihílque prouidēter.] αἰτιολογία est loci superioris, in qua obserua articulum, ope, consilio, honore.

nore. Est autem articulus, cùm multa sine coniunctione cohærent, ut ueni, uidi, uici. Auspicarētur.] Auspicor, propriè est auspicia sumo. & quia ueteres nihil nisi auspicato gerebant, factum est ut auspicari pro incipere sumatur.

Qui mos, cui potius, quàm consuli? aut quādo magis vsurpandus, colendúsque est, quàm cùm imperio Senatus, authoritate reipublicæ ad agēdas optimo Principi gratias excitamur? Quod enim præstabilius est, aut pulchrius munus deorum, quàm castus & sanctus, & diis similimus princeps? Ac si adhuc dubium fuisset, sorte, casúque rectores terris, an aliquo numine darentur, Principem tamen nostrum liqueret diuinitus constitutum. Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Ioue ipso coràm, ac palàm repertus, electus est. Quippe inter aras, & altaria, eodémq; loci, quē Deus ille tam manifestus, ac præsens, quàm cœlum, ac sidera insedit.

COMMENTARIVS.

Qui mos.] Orationem generalē ad particularē transfert. Qui modus amplificādæ orationis apud oratores frequēs est. Cum enim id quod generatim dictum est, per partes explicatur, copiosior fit oratio. I'dque fit, cum θέσις reuocatur ad ὑπόθεσιν. Quàm consuli.] Initio rerum, gentium, nationum imperium penes Reges erat, quibus exactis summa rerum apud consules esse cœpit. Imperio senatus.] Authoritas Senatus, & maiestas populi dicebatur. Vnde læsæ maiestatis & imminutæ authoritatis crimina: Cuius rei Cicero meminit III. Philippica. Optimo principi.] Traianum intelligit. Hic enim uitæ innocentia & uirtutibus eximijs reliquos principes anteibat. Quod enim præstabilius est.] Subijcit rationem cur principi agendæ sint gratiæ. Quàm autem

ſit eximium Dei *donum, bonum eſſe in* Rep. *principem,* Plato *grauiter expreßit ad finem libri* v. *de* Republica, *his penè uerbis:* Ἐὰν μὴ ἰῶ δ' ἐγὼ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταὐτὸν ξυμπέσῃ δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία, τῶν ἡ νῦν πορευομένων χωρὶς, ἐφ' ἑκάτερον αἱ πολλαὶ φύσεις ἐξ ἀνάγκης ἀποκλισθῶσιν, οὐκ ἔστι κακῶν πάυλα ὦ φίλε Γλαύκων ταῖς πόλεσιν, δοκῶ δ' οὐδὲ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει, οὐδ' αὐτὴ ἡ πολιτεία μή ποτε πρότερον φυῖτε εἰς τὸ δυνατὸν καὶ φῶς ἡλίου ἴδῃ ἢν νῦν λόγῳ διεληλύθαμεν. Quẽ Platonis locum Cicero *ſuccinctè alibi expreßit:* Felicem *eſſe eam* Remp. *in qua aut* Philoſophi *regnant, aut regnantes philoſophantur.* Idem Plato *docet ſeptima epiſtola ad* Dionis *amicos.* Contrà *uerò quanta ſit* Reip. *calamitas ſceleratæ uitæ princeps, nemo exiſtimo nec grauius, nec ornatius exprimere unquam potuiſſet quàm* Cicero *ad finem tertij libri de legibus. Cuius loci quoties memoriam replico, toties malorum principum uitia cumulo excipere uideor.* Inquit ergo Cicero, *Vt enim cupiditatibus principum & uitijs infici ſolet tota ciuitas, ſic emendari & corrigi continentia.* Et *paulò pòſt:* Nec *enim tantum mali eſt peccare principes (quanquam eſt magnum hoc perſeipſum malum) quantum illud quod permulti imitatores principum exiſtunt.* Nam *licet uidere, ſi uelis replicare memoriam temporum, qualeſcunque ſummi ciuitatis uiri fuerunt, talem ciuitatem fuiſſe: quæcunque morum mutatio in principibus extiterit, eandem in populo ſecu-*
12 *tam.* Hactenus Cicero. Sanctus & Diis ſimillimus princeps.] Sãctus *id eſt, integer, purus, impollutus.* Hoc *ultimum eſt quaſi interpretatio priorum.* Eſt *autem ſanctum, authore* Martiano Iuriſcon. *quod ab iniuria hominum, defenſum atq; munitum eſt. l. ſanctum. de rerum diuiſione.* Dictum *uolunt uel*

à Sagm

à Sagminibus, uel à ſanciendo, id eſt, muniendo, quòd Sagmina legatos ab iniuria hominum defendant. Caſtitate *enim & ſanctitate proximè ad* Deos *accedimus.* Ac ſi adhuc dubiũ 13.
fuiſſet.] *Amplificat principis dotes ab electione diuinitus facta.* Plato *libro de legibus quarto:* Ciuitates *quæ nõ* Deum *ſed mortalem aliquem præfectum habent, nunquàm non ſeditionibus laborabunt.* Principes *autem fato generi mortali dari, memorabili exemplo* Titus Veſpaſianus *oſtendit.* De *quo hunc in modum ſcribit* Aurelius Victor: Clementiam *uerò uſque eò perduxit, ut ampliſſimi ordinis duo, cum aduerſus eum coniuraſſent, neque abnuere cogitatum ſcelus quirent, monuerit primò, poſt deductos in ſpectaculum, ſe utrimque aſſidere iuſſerit, petitóq; ex induſtria* Mirmilionum, *quorum pugnæ uiſebantur gladio, quaſi ad explorandam aciem uni atque alteri commiſerit: quibus percußis & conſtantiam mirantibus diceret,* Videtis'ne *poteſtates fato dari: fruſtráque facinus tentari potiundi ſpe, uel amittendi metu?* Homerus *quoque* Iliados *β. docet, principes à* Deo *dari.* Nam *inquit,* τιμὰ δ' ἐκ Διός ἐστι. Non enim occulta poteſtate.] Expli 14
cat modum quo Traianus *in principem aſſumptus fuit.* Co- 15.
ram ac palam.] *Appoſitè hæc duo aduerbia coniunxit.* Nam *coram ad perſonas certas refertur, palàm ad omnes.* Eſt *enim palam in luce, atque oculis hominum. l. hæredes palam. de teſtamentis. l. palam. de ritu nuptiarum. l. palam. de uerborum ſignificatione.* De *qua uoce (ut ſæpe de minutijs)* Iuriſconſulti *etiam ſe torquent.* Quorum *etiam (teſte* Fabio) *ſummus labor circa uerborum proprietatem eſt.* Hinc *ſunt tituli illi ſplendidi de uerborum ſignificatione, & in* Pandectis *& in iure pontificio.* In *qua re* Andreas Alciatus, *maiorum gentium* Iuriſconſultus, *bonam operam & omnibus fructuoſam nauauit.* Quippe inter aras & altaria.] A' *loco adoptio-* 16.

nem Traiani augustiorem facit. Quæ in Capitolino Templo, ubi Iupiter sanctißimè colebatur, celebrata est. Rudis enim illa antiquitas persuasum habebat, Iouis potestatem non minorem esse in Capitolio quàm in cœlo ac syderibus. Platonicum hoc esse uidetur. Plato enim in Timæo author est animam ex aliquo sydere in hæc corpus demitti, & ad idem post certum tempus redire. Altare ab altitudine dictum esse grammatici uolunt, quia antiquitus in ædificijs à terra eleuatis Dijs superis sacrificabant. In terra Dijs terrestribus, in effossa dijs infernalibus. Seruius ualde bonus grammaticus, author est altare tantum superis consecratum, aram & superis & inferis consecratam fuisse. Ac sydera insedit.] *Insidere, hîc locum occupare est, & cum accusatiuo construitur, sic Liuius libro sexto belli punici: Quingētis militibus arcem insedit.* Text 89 19.

18. Quo magis aptum piúmq; est, te Iupiter Optime
20. Max. anteà conditorē, nunc cōseruatorē imperij nostri
22 precari, vt mihi digna cōsule, digna senatu, digna Prin
cipe contingat oratio, vt que omnibus, quæ dicentur à
24 me, libertas, fides, veritas, constet: tantumq; à specie adu
lationis absit gratiarum actio mea, quātum abest à necessitate. Equidem non consuli modò, sed omnibus ciuibus enitendum reor, ne quid de Principe nostro ita dicāt, vt idem illud de alio dici potuisse videatur. Quare abeant, ac recedant voces illæ, quas metus exprimebat. Nihil, quale antè, dicamus: nihil enim, quale anteà, patimur. Nec eadem de principe palàm, quæ prius prædicemus: neque enim eadem secretò quæ prius loquimur. Discernatur orationibus nostris diuersitas temporum, & ex ipso genere gratiarum agendarum intelligatur, cui, quando sint hactenus vt Deo, nunc nusquam, num

numini, blandiamur: non enim de tyrāno, sed de ciue: non de domino, sed de parente loquimur. Vnum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quòd vnū ex nobis putat, nec minus hominem se, quàm hominibus præesse meminit.

COMMENTARIVS.

Quo magis.] *Inuocatio est, iouē enim precatur ut se, audi* 18.
torio, principe, dignam orationē habere poßit. Oratores etiā inuocatione uti solere testis est Fabius. Quintilianus in præfatione III. *libri. Sic quoque Homerus* I. *Iliados librum ab inuocatione Musæ orditur. A qua causam iræ Achillis quærit:* Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος Οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν. *Et Vergilius qui semper ad Homericam grandiloquentiam aspirat, & subinde ita cum Homero certat ut uictoria in æquilibrio pendere uideatur, hac inuocatione primo libro Aeneidos utitur.*

Musa mihi causas memora quo numine læso,
Quidue dolens Regina Deum tot uoluere casus
Insignem pietate uirum, tot adire labores,
Impulerit: tantæne animis cœlestibus iræ?

Sciscitatur Vergilius causam odij Iunonis in Troianos. Te Iupiter optime Maximè.] *Iupiter dictus est optimus ob* 19
beneficia Romanis præstita, maximus uerò quia potentißimus est. Antea conditorem.] *Mirum hoc uidebitur fortè* 20.
& negotium facessere alicui poterit quomodo Iupiter Romæ conditor fuerit, cum nemo nesciat Romulum eam exædificasse. Hunc scrupulum sic eximere possumus, quia urbs Roma auxilio Iouis, ædificata à Romulo fuit. ob id κατ' ἐξοχὴν *Ioui id tribuitur.* Conseruatorem.] *Platonis sententia est singu* 21.
lis urbibus sua præesse numina. Iupiter itaque Deus tutelaris

Romæ, imperium à sceleratis principibus sæpe ad bonos transtulit. Vt à Domitiano ad Neruam, à Nerua ad hũc Tra
22 ianum. Vt mihi digna.] ἀναφορὰ καὶ διάλυτον, repetitio
23 & articulus. Digna Senatu.] Qui imperauit. Digna prin
cipe.] Cui agendæ gratiæ sunt. Alia etiam oratio decet imperitam plebeculam, alia principem. Hócque illud est in quo boni authores tantopere occupati sunt, ut seruent illud τὸ
24 πρέπον. Libertas, fides, veritas, constet.] Bono enim prin
25 cipi liberæ & ueræ uoces gratißimæ sunt. Constet.] Con
26 sentiat, congruat. Tantúmq; à specie adulationis.] Hoc est, quemadmodum nemini cogimur adulari, ita oratio mea ab adulationis titulo lõgè absit. Fabius Quintilianus inquit, studia constant uoluntate quæ cogi non potest. Adulatio etiam etsi uoce uel gestu exprimitur, ab animo tamen qui liber est, proficisci uidetur. Nulla autem est perniciosior pestis in aulis principum quàm adulatio. Adulatores enim principes sæpe transuersos agunt ut ueritati aures occlusas habeant & splendidißimis mendacijs assentiantur. ob hoc uitium Demosthenes Philippum Regem Macedoniæ grauiter insectatur secunda olynthiaca: λιπὸς δὴ περὶ αὐτὸν εἶναι λῃστὰς καὶ κόλακας καὶ τοιούτους ἀνθρώπους οἵους μεθυσθέντας ὀρχεῖσθαι τοιαῦτα οἷα ἐγὼ νῦν
27 ὀκνῶ πρὸς ὑμᾶς ὀνομάσαι. Equidem non consuli modò.] Amplificat ea quæ de adulatione dixerat, eam non modò à
28 consule, sed ab omnibus bonis uiris abesse debere. Vt idem illud.] Huius rei rationem esse existimo quia alij principes ferè omnes multis sceleribus contaminati erant, Traianus uerò integræ inculpatæq; uitæ habebatur. Id ergo ob quod Tra
29 ianus prædicabatur, in alios non aptè quadrabat. Quare abeant ac recedant voces illæ.] Species quædam prosopopeiæ est, in qua Plinius docet sub alijs principibus nullam loquendi libertatem fuisse, sed omnes adulationibus seruiuisse.

Voces

Voces illæ.] Scilicet adulatoriæ & blãdæ. Exprimebat.] 31.
Id est, extorquebat, eliciebat, extrahebat. Vnde oratio expressa apud Ciceronem initio partitionum. Humanum quod spectatur ex authoritate, uoluntate, & ex oratione libera uel expressa. Nihil quale anteà.] Scilicet sub malis principi- 32
bus. Nihil enim quale anteà patimur.] Scilicet Tyran- 33.
nidem, seruitutem. Nec eadem secretò loquimur.] Hoc 34.
est nunc, clanculum non conijcimus maledicta in principes ut prius sub Domitiano. Vt Deo.] Scilicet Domitiano. De 35.
quo Suetonius Tranquillus in Domitiano, capite decimotertio, ita scribit: Pari arrogantia, cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam sic cœpit: Dominus & Deus uester sic fieri iubet. Vnde institutum posthac ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter.
Non enim de Tyranno, sed de ciue.] Elegans antithesis 36.
qua orationem illustrat, conferens Domitianum cũ Traiano.
De tyrãno.] Qui pro sua libidine nõ ex æquo et bono omnia 37.
regit. Tyrannus antiquitus in bonã partẽ, pro Rege, & domino accipiebatur, ἀπὸ τοῦ τυραννεῖν, quod regere est. Vnde Verg.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.

Postea nomen abijt in inuidiam pro uiolento dominatore. Vnum ille se ex nobis.] Ab humanitate Traia- 38.
num laudat, quantò enim maior est, eò se submißius gerere uidetur. Et ut homo est. ita se hominem esse (& non Deum) humaniter agnoscit. Quare arrogantiam Domitiani & aliorum principum qui Dij & haberi, & dici ualebant modeste minuit. Oportet enim (inquit Plato) meminisse nos homines esse. Præterea principem humanitas decet. unde Vespasianus dicere solebat, Neminem oportere à Cæsaris colloquio tristem discedere. Magnificis promißis onerans eos qui eum adibant.
39 Ex nobis.] Id est hominum numero & non Deorum. Et hoc 40

 max

maxime.] *Id est hac singulari humanitate.* Texto 4

Intelligamus ergo bona nostra, dignósq; non illius vsu probemus: atq; identidem cogitemus quàm sit indignum, si maius principibus præstemus obsequium, qui seruitute ciuium, quàm qui libertate lętantur. Et populus quidem Romanus dilectum principem seruat, quātóque paulò antè concentu formosum alium, hunc fortissimum personat: quibúsque aliquando clamoribus gestum alterius & vocem, huius pietatem, abstinentiā, mansuetudinem laudat. Quid nos ipsi? diuinitatē principis nostri, an humanitatem, temperātiam, facilitatem, vt amor & gaudium tulit, celebrare vniuersi solemus? Iam quid tam ciuile, tam senatorium, quàm illud additum à nobis Optimi cognomen? quod peculiare huius, & proprium arrogantia priorū Principum fecit. Enimuerò quàm cōmune, quàm ex æquo, quòd felices nos, felicem illum prædicamus, alternísque votis hęc faciat, hæc audiat, quasi non dicturi nisi fecerit, cōprecamur. Ad quas ille voces lacrymis etiam, ac multo pudore suffunditur. Agnoscit enim, sentítque sibi, non principi dici. Igitur quod temperamentum omnes in illo subito pietatis calore seruamus, hoc singuli quoque meditatique teneamus: sciamúsque nullum esse neque syncerius, neque acceptius genus gratiarum, quàm quòd illas adclamationes æmulemur, quæ fingendi non habent tempus. Quantum ad me pertinet laborabo, vt orationem meam ad modestiam Principis, moderationémq; submittam: nec minus considerabo quid aures eius pati possint, quàm quid virtutibus debeatur.

COMMENTARIVS.

41. Intelligamus ergo.] *Conclusio adhortationē continens.*

Vsu

42. 43. 44.

Vsu.] *Id est cōsuetudine.* Probemus.] *Ostēdamus.* Atq; identidē cogitemus.] *Addit argumentū à minori ad maius. Si præstamus obsequium Tyrannis, ergo multò magis bonis & castis principibus.* Qui seruitute ciuiū quàm qui libertate lætantur.] 45.
Quantò gratior est hominibus uita, morte, tanto acceptior est libertas seruitute. Iuris enim authores libertatem uitæ, seruitutem morti conferunt. Vlpianus *in l. Seruitutem. de regulis iuris. Adde, ut libertas est res inæstimabilis, ita bonus princeps nullo pretio æstimari potest.* Et populus quidem Romanus.] 46.
Confert bona corporis Traiani cum bonis corporis Domitiani. Hunc formosum, illum fortem fuisse prædicat. De statura & pulchritudine Domitiani uidendus est Suetonius Tranquillus cap. decimooctauo, in Domitiano, Et Cornelius Tacitus. Alternis & vocem.] 47.
A bonis animi Traianum præfert Domitiano. Concentu formosum alium.] 48.
Consentiente uocum concordia. Quare significat Plinius populum applausisse Domitiano. Personat.] 49.
Id est clara & magna uoce laudat. Cicero in oratione pro Cælio: Nihil igitur illa uicinitas redolet? Nihil hominum fama? nihil Baiæ denique ipsæ loquuntur? Illæ uerò non loquuntur solum sed etiam personant &c. Quid nos ipsi.] 50
Scilicet Senatores. Facilitatem.] 51.
Facilitas opponitur morositati. Oportet enim principem facilem, expositum esse ut neminem tristem à se dimittat. Sic Cicero pro lege Manilia Pompeium à facilitate laudat. Vt amor & gaudiū tulit.] 52.
Vt quisque amore uel gaudio affectus fuit. Celebrare.] *Id est, honorare.* 53.
Iam quid tam ciuile.] *A cognomine Traiano addito eum laudat.* 54
Quod peculiare huius.] *An quod optimi cognomen cæteris principibus titulo tenus conueniebat, Traiano uerò reipsa? Sic quidam homines sunt nomine (inquit Cicero) non reipsa.* Enimuero quàm commune.] 55.
56

Plin

Plinius ostendit & Traianum & populum Romanum alterna uota fecisse. Traianus enim præcatus est, ut Dij cœptis suis fauerent, Populus autem ut iustum & sanctum nanciscerétur principem. Quasi non dicturi nisi fecerit, cum precamur.] *Traianus uoluit facta sua esse consentanea populi uocibus, populus enim Traianum prædicabat, id quod Traianus hac lege fieri uolebat si probè honestéq; imperaret.* Ad quas ille voces.] *Plausibiles populi uoces principi lachrymas præ nimio gaudio, excusserunt.* Igitur quod temperamentum.] *Quemadmodum mediocritas tenenda est in repentinis laudationibus & acclamationibus: sic adhibenda est moderatio in præmeditata & domo allata oratione.* Tẽpus fingendi.] *Id est meditandi.* Quantum ad me pertinet.] *Quod dictum generatim erat, ad suam personam trãsfert. Est enim locus docilitatis & attentionis à sua, & Traiani persona.* Quid aures eius pati possint.] *Id est, quid tanquã syncerũ & rectũ admittere possint. principis enim aures teretes & religiosæ sunt, quibus nisi quod placeat obijciatur, mox respuũt omnia.* Quàm qui virtutibus debeatur.] *Id est uirtutis debitum non desit testimonium.*

Magna & insitata Principis gloria, cui gratias actúrus, non tam vereor ne me in laudibus suis parcũ, quàm ne nimium putet. Hæc me cura, hæc difficultas sola circunstat. Nam merenti gratias agere, facile est Patres c. Non enim periculum est, ne cum loquar de humanitate, exprobrari sibi superbiam credat: cum de frugalitate, luxuriam: cum de clemẽtia, crudelitatem: cum de liberalitate, auaritiam: cum de benignitate, liuorem: cũ de continentia, libidinem: cum de labore, inertiam: cum de fortitudine, timorem. Ac ne illud quidem vereor, ne gratus, ingratúsve videar, prout satis, aut parum dixero

xero. Animaduerto enim etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentia, & sanctitate lætari: gratiorémque existimari, qui delubris eorum puram castámque mentem, quàm qui meditatũ carmen intulerit. Sed parendum est SENATVS CONSVLTO, quod ex vtilitate publica placuit, vt consulis voce sub titulo gratiarum agendarum, boni principes quæ facerent, recognoscerent: mali, quæ facere deberẽt. Id nunc eò magis solenne, ac necessarium est, quòd parẽs noster priuatas gratiarum actiones cohibet, & comprimit, intercessurus etiam publicis, si permitteret sibi vetare, quod senatus iuberet. Vtrunq; Cæsar Auguste moderate, & quòd alibi tibi gratias agi non sinis, & quòd hic sinis. Non enim à teipso tibi honor iste, sed ab agentibus habetur. Cedis affectibus nostris: nec nobis munera tua prædicare, sed audire tibi, necesse est.

COMMENTARIVS.

Magna principis gloria.] *Επιφώνημα elegans.* Parcũ.] *Id est compendiosum. Tacere enim præstat quàm pauca de tam excellenti principe dicere.* Inusitata.] *Inaudita.* Hæc me cura, hæc difficultas.] *ἀναφορά.* Circunstat.] *Id est, præmit urget. sumpta metaphora uidetur ab his qui aliquem circundant, ut eum uel defendant uel iugulent.* Nam merenti gratias agere.] *Traianus ob insignes animi dotes gratiarum actionem meretur, Alij principes ob inaudita flagitia nulla erant digni laude, & sub laudis titulo sua scelera agnoscebant. Est hoc loco perelegans ἀντίθεσις, hoc est contrariorum comparatio, quæ ualde orationem exornat. Frequens est hæc figura apud bonos authores. Cicero in oratione pro Cælio: An timebant ne tot unum, ualentes imbecillum, alacres*

pertr

perterritum superare non possent? Elegans huius figuræ exem
plum est apud Demosthenem ad finem orationis de corona,
70 cum uitam suam cum uita Aeschinis confert. Ac ne illud.]
71 Propositio, cuius mox explicationem subijciet. Animaduer-
to enim.] Sententia memorabilis, continens rationem loci su
perioris. Vt enim is gratior Deo est qui puram & integram
mentem templis infert, quàm qui mentem multis uitiorum in-
tegumentis implicatam, & tamen meditatas & accuratas ali
quot preculas eiaculatur: ita Plinius integritate & sanctita-
te mauult placere Traiano, quàm multis uigilijs elaborata
oratione. Huic non absimile quod Plato magnificè in Alci-
biade secundo his uerbis tradit: Καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη, ἢ πρὸς τὰ
δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς
τὴν ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὤν, τυγχάνῃ πολλῷ μᾶλ-
λον οἶμαι, ἢ πρὸς τὰς πολυτελεῖς ταύτας πομπάς τε καὶ θυσίας,
ἃς οὐδὲν κωλυεῖ, πολλὰ μὲν εἰς θεοὺς, πολλὰ δὲ εἰς ἀνθρώπους ἡ
μαρτηκότας καὶ ἰδιώτην καὶ πόλιν, ἔχειν ἂν ἕκαστον ἔθος τε-
λεῖν, οἱ δὲ, ἅ τε οὐ δωροδόκοι ὄντες, καταφρονοῦσιν ἁπάντων τούτων,
72 ὥς φησιν ὁ θεὸς, καὶ θεῶν προφήτης. Accuratis.] Exquisitis,
73 elaboratis. Delubris.] Delubrum locus est in quo Dei si-
74 mulachrum dedicatum est. Puram castámque mentem.]
75 Id est integram. Meditatum.] Id est excogitatum, accura-
76 tum. Sed parendum est Senatusconsulto.] Plinius hoc lo
co huius orationis fructum, & utilitatem ostendit. Nimirum
ut boni principes hic tanquam in speculo uideant ea quæ Rei-
pub. utilia sunt. Mali uerò intelligant quomodo Reipub. gu-
bernaculis prædesse debeant. Idque ad publicam utilitatem
pertinere Plinius tradit. Senatusconsultum est species iuris
scripti: ut Iustinianus Imperator docet. §. constat. In institu-
77 tionibus, titulo de iure naturali, gentium & ciuili. Consulis
78 voce.] Id est mei Plinij. Sub titulo.] Id est specie. Id nunc

eo magis solenne ac necessarium est.] Publicas gratias 79
agere Traiano necessarium est. Nam priuatas omnes ut mo-
destus est, & securus bonorum, respuit. publicas etiam si sibi
per senatum liceret, uetaret. Solenne.] Id est magis soli- 80
tum, receptum, consuetum. Parens noster.] Traianus, qui 81
parentum more nos tenerè & unicè amat. Parens ergo noster
est cõsilio, prudentia, tutela. Intercessurus enim publicis.] 82
Id est impediturus publicas gratiarum actiones, si per sena-
tum liceret. Intercedere enim eleganter impedire, prohibere
significat. Vnde Tribunorum erat intercedere. Quæ formu-
la apud Liuium frequens est. Si permitteret.] Scilicet Se- 83
natus. Vtrunque Cæsar.] Principem laudat quòd & pu- 84
blicè & priuatim in honoribus magnam seruet moderatio-
nem. Cæsar Auguste.] Ab Imperatore Octauio cæteri 85
Cæsares, Augusti nomen sumpserunt. De qua re Aurelius
uictor in Octauiano hũc in modum scribit: Octauianus igitur
patre Octauio senatore genitus, maternum genus ab Aenea
per Iuliam familiam sortitus, adoptione C. Cæsaris maioris
Auunculi, C. Cæsar dictus, deinde ob uictoriam Augustus
cognominatus est. Inualuit deinde consuetudo, ut Cæsar dice-
retur designatus princeps, & quasi Imperatoriæ maiestatis
futurus hæres. Augustus uerò uerus Imperator, penes quem
rerum summa erat. De Cæsaris nomine & origine disserit
Philippus Beroaldus, uir egregiè doctus & multæ lectionis,
in Iulio Cæsare apud Suetonium Tranquillum. Moderatè.] 86.
Id est modeste. 87 Alibi.] Scilicet priuatim. Et quod hic 88
sinis.] Scilicet publicè. Sed ab agentibus habetur.] Ho- 89
nor in his est qui eum nobis habent, non in his quibus habe-
tur. Id Aristoteles libro primo ἠθικῶν his ferè uerbis docet:
δοκεῖ γὰρ ἐν τοῖς τιμῶσι μᾶλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ. Hoc
est, honor uidetur potius est in his qui eum habent, quàm in

90 *his quibus exhibetur.* Cedis affectibus nostris.] *Accom-*
91 *modas te nostris affectibus, locum eis das.* Munera tua.]
92 *Id est magnificentiam tuam.* Prædicare.] *Id est laudare.*
93 Audire tibi.] *Obsequi.* Textus 69

Sæpe ego mecum P. C. tacitus agitaui, qualem quantúmque esse oporteret, cuius ditione, nutúque maria, terræ, pax, bella regerentur, cùm interea fingenti, formantíque mihi principem, quem æquata diis immortalibus potestas deceret, nunquam voto saltem cōcipere succurrit similem huic, quem videmus. Enituit aliquis in bello, sed obsoleuit in pace: alium toga, sed non & arma honestarunt: reuerētiam ille terrore, alius amorem humilitate captauit. Ille quæsitam domi gloriam, in publico: hic in publico partam, domi perdidit. Postremò adhuc nemo extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.

COMMENTARIVS.

94 Sæpe ego mecum. Patres cōscripti tacitus cogitaui.]
95 *Narratio continens expositionem factorum Traiani.* Taci-
96 tus agitaui.] *Id est cogitaui.* Ditione.] *Id est imperio.* Ma
97 ria, terræ, pax, bella regerentur.] *Omnia & terrestria & maritima. Imperator enim est dominus mundi & lex maris. Quemadmodum responsum est ab Antonino Imperatore in l. deprecatio, ad legem Rhodiam de iactu.* Ἀντώνινος εἶπεν. ἐγὼ
98 μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. Fingenti formantiq; mihi principem.] *Id est animo ad perfectionis idæam mihi conspicienti. Est elegans translatio à figulis*
99 *sumpta.* Aequata potestas.] *Par, æqualis, Hominem enim homini ut Plato quarto de legibus tradit, præficere non oportet; sic enim omnia superbia & iniustitia replerentur. Sic autem*

autem Plato inquit: γινώσκων ὁ Κρόνος ἄρα καθάπερ ἡμεῖς διεληλύθαμεν, ὡς ἀνθρωπεία φύσις οὐδεμία ἱκανὴ τὰ ἀνθρώπινα διοικοῦσα αὐτοκράτωρ πάντα μὴ οὐχ ὕβρεώς τε καὶ ἀδικίας μεσοῦσθαι. ταῦτ' οὖν διανοούμενος, ἐφίστη βασιλεάς γε καὶ ἄρχοντας ταῖς πόλεσιν ἡμῶν, οὐκ ἀνθρώπους, ἀλλὰ γένους θειτέρου τε καὶ ἀμείνονος δαίμονας. οἷον νῦν ἡμεῖς δρῶμεν τοῖς ποιμνίοις, καὶ ὅσων ἥμεροί εἰσιν ἀγέλαι: οὐ βοῦς βοῶν, οὐδὲ αἰγὰς αἰγῶν ἄρχοντας ποιοῦμεν αὐτοῖς τινὰ, ἀλλ' ἡμεῖς αὐτῶν δεσπόζομεν, ἄμεινον ἐκείνων γένος. Ταῦτ' ἄρα καὶ ὁ θεὸς δὴ καὶ φιλάνθρωπος ὢν, τὸ γένος ἄμεινον ἡμῶν ἐφίστη τὸ τῶν δαιμόνων. ὁ διὰ πολλῆς μὲν αὐτοῖς ῥαστώνης, πολλῆς δὲ ἐπιμελούμενον ἡμῶν, εἰρήνην δὲ καὶ αἰδῶ, καὶ ἐλευθερίαν, καὶ ἀφθονίαν δίκης παρεχόμενον, ἀστασιάστα καὶ εὐδαίμονα τὰ τῶν ἀνθρώπιον ἀπειργάζετο γένη. λέγει δὴ καὶ νῦν οὗτος ὁ λόγος ἀληθείᾳ χρώμενος, ὡς ὅσων ἂν πολέων μὴ θεὸς, ἀλλά τις ἄρχη θνητὸς, οὐκ ἐστι κακῶν αὐτοῖς, οὐδὲ πόνων ἀνάφυξις. *Quæ uerba hunc sensum habent: Cognoscens itaque Saturnus, quemadmodum nos retulimus, quòd nulla natura humana sat potens est ad res humanas administrandum, nam si suo arbitratu id faceret, omnia superbia & iniustitia replerentur. Hæc itaque intelligens, urbibus nostris Reges & principes præfecit, non homines, sed diuinioris & præstantioris generis Dæmones. id quod nos nunc in ouium gregibus facimus, & in alijs armentis, quæ cicura sunt. Non enim boues bobus, nec capras capris præficimus sed nos qui genus melius sumus, ipsis dominamur. Eo quoque modo, Deus hominum amantißimus, genus dæmonum nostro genere excellentius nobis præfecit: quod ob multam suam facilitatem & nostram, curiosè res nostras curat; & pacem, pudorem, libertatem & abundantiam iustitiæ exhibens, genus hominum seditione uacuum & felix reddebat. Affirmat sanè hic sermo, ueritate usus, cunctis ciuitatibus, quibus non Deus, sed mortalis ali-*

quis dominatur, nec laborum nec malorum requiem fore. Quanta sit principis potestas, docet Innocentius III. in cap.
100 *solitæ benignitatis. de maior. & obed.* Enituit aliquis in bello.] *Ratio loci superioris per contentionem, ex qua ori-*
101 *tur elegans comparatio.* Sed obsoleuit in pace.] *Obscurus factus est. Exemplum huius loci Hannibal esse potest, quem armis inuictum, campana luxuria Romano militi uin-*
102 *cendum tribuit.* Alium Toga.] *Scilicet pacis tempus ho-*
103 *nestauit.* Sed non & arma honestarunt.] *Id est bella illustrem non fecerunt. In exemplum dare poteris Ciceronem, qui in pace solus Romæ dominari uidebatur. Vnde ille uersiculus quo Cicero immortale sibi odium conflauit:*

O fortunatam, natam me consule Romam.

Cuius tam singularis uirtus in bello non enituit. Etsi tamen cùm proconsul esset, iusta uictoria apud Issum Imperator appellatus fuit. Timidus tamen Imperator uidebatur, qui ma-
104 *gnis uotis, ut sibi ante tempus succederetur, expetebat.* Re-
105 uerentiam ille.] *Vt Domitianus, Caligula.* Alius.] *Vt*
106 *Claudius Cæsar.* Quæsitam domi gloriam.] *In rebus*
107 *urbanis.* In publico.] *In rebus bellicis.* Postremò nemo
109 extitit.] *Scilicet princeps.* Confinio.] *Vicinitate. Omnes enim principes aliqua dote uel animi uel corporis, uel fortunæ ornati fuerunt: Sed eam magnis uitiorum tenebris inobscurarunt. Id quod ex Suetonio Tranquillo perspicuum est. Nec id cuiquam mirum uideri debet. Est enim quædam uitiorum & uirtutum uicinitas. Vnde temerarium fortem, prodigum liberalem, auarum parcum, uocamus. Id Fabius Quintilianus lib. tertio cap. septimo, docet. Et Aristoteles primo Rhetoricorum ad Theodecten cap. de genere demonstratiuo. Eo loco* λυπτέον ἢ καὶ τὰ συνεγγὺς τοῖς ὑπάρρχουσιν. *Et Horatius satyra tertia primi libri sermonum. Et Cicero in Partit*

Partitionibus Orator. in explicatione generis demonstratiui. Text. 79

At Principi nostro quanta concordia, quantúsque concentus omnium laudum, omnísque gloriæ contigit vt nihil seueritati eius hilaritate, nihil grauitati simplicitate, nihil maiestati humanitate detrahatur. Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere deum festinantis senectutis insignibus ad augendam maiestatem ornata cæsaries, nónne longè, latéq; principem ostentant? Talem esse oportuit, quem non bella ciuilia, nec armis óppressa republ. sed pax & adoptatio, & tandem exorata terris numina dedissent. An fas erat nihil differre inter imperatorem, quem homines, & quem Dij fecissent? Quorum quidem in te Cæsar Auguste iudicium, & fauor tunc statim, cùm ad exercitum proficiscereris, & quidem inusitato iudicio enituit. Nam cæteros principes aut largus cruor hostiarum, aut sinister volatus auium consulẽtibus nũtiauit.

COMMENTARIVS.

At principi nostro.] *ἀποδόσις, & aduersatiua, conti-* 110
nens alteram partem cõtentionis. In hac ostendit Plinius Traianum omni laude cumulatum fuisse. In bello enim enituit, in pace non obsoleuit. Eum toga armáque pariter honestarunt. Gratiam omnium non terrore, sed humilitate collegit. Res domi gestæ, se illis, quas in publico gessit, æquarunt. Et quemadmodum facere scribenda, aut scribere legenda, magna laus est: Sed multò maxima utrunque præstare posse: Ita præclarè dicere, & memorabiliter facere, immortali gloria dignum est. Id quod haud dubiè uerè de Traiano dicitur.

111 Vt nihil seueritate.] *Excellentes & penè Heroicæ Traiani uirtutes mediocritate temperatæ fuerũt: ut seueritas hi-*
112 *laritate, grauitas simplicitate, maiestas humanitate.* Iã firmitas.] *Laus à commodis corporis per ἐπαναφοράν. Est etiã*
113 *quædam distributio & partium enumeratio.* Iam.] *Id est insuper, prætereá. Ita Plinius hanc particulam frequenter usur*
114 *pat. ut in epistola sexta & decima lib. I.* Firmitas corpo-
115 ris.] *Id est fortitudo & constans ualetudo.* Proceritas corporis.] *Procerior corporis statura principes ualde condecorat: ἐν μεγάλῳ γὰρ σώματι τὸ καλλὸς, inquit Aristoteles.*
116 Honor capitis.] *Id est caluitium, cui homines ob ueneran-dam senectutem, honorem habere solent. Vnde Iuuenem seniori non assurgere, grande nefas erat. Vide Valerium maximum lib. II. cap. I. de honore impenso senibus à iuuenibus.* Dignitas oris.] *Pulchritudo faciei. Dignitas, est pulchritudo in uiris, uenustas in mulieribus. Cicero I. Officiorum: Pulchritudinis duo sunt genera. Vnum muliebre, quam uenustatem appellamus: alterum uirile, quam dignitatem appellamus. Ad hoc indeflexa maturitas. Id est, perfecta & uirilis ætas. Flexa enim ætas dicitur quæ uergere & inclinari incipit. Et flexus ætatis, est quasi decursus & finis ætatis. Cicero pro Cælio: In hoc flexu quasi ætatis (nihil enim occultabo humanitate & sapientia uestra) fama adolescentis paulum hæsit ad metas: Notitia noua mulieris, & infelici uicinitate, & insolentia uoluptatum. Et primo de Oratore ad Q. fratrem, Etiam ætatis flexum uocauit. Scriptores quoque rerum tradunt Traianum in ætatis flore, circa trigesimum annum in Imperatorem cooptatum fuisse. Dion in Traiano hac de re sic scribit: Traianus regnare cœpit agens annum secundum & quadragesimum, ut ita uigeret, ne eum iuuentus temera-*
117 *rium, aut senectus tardum efficeret,* Insignibus.] *Id est ornamen*

namentis. Ad augendam maiestatem.] *Id est principis* 118
dignitatem. Ornata cæsaries.] *Id est, capillitium exorna-* 119.
tum. Crines alere olim honorificum erat. Lycurgus Lacedæmonijs permisit comam alere. Id enim signum libertatis erat. Nam comatum hominem munus aliquod seruile obire, difficile est. Quam rem attigit Aristoteles primo ad Theodecten, his uerbis: Καὶ ὅσα σημεῖα ἐστὶ τῶν παρ' ἑκάστοις ἐπεννουμένων, οἷον ἐν λακεδαίμονι κομᾶν καλὸν: ἐλευθερίας γὰρ σημεῖον, οὐ γάρ ἐστι κομοῦντα ῥᾴδιον οὐδὲν ποιεῖν ἔργον θητικόν. Plutarchus aliam mentem fuisse Lycurgi ostendit. Ait enim id à Lycurgo factum esse, quòd Cæsaries formosos speciosiores reddat: Deformes uerò horribiliores. Quò mihi Homerus respexisse uidetur, cum græcos καρηκομῶντας uocat, quasi capita fortitudinis & terroris gratia ornantes. Nota est uox Regis Lacedæmoniorum, qui interrogatus, cur Lacedæmonij alerent capillos, respondit quia hic uuus corporis ornatus nullo sumptu corporis constat. Adrianus primus Cæsar comam nutriuit: autor Dion in Adriano. De hoc copiosè Alexander ab
Alexandro, lib. III. cap. VII. Longè latéq; principem 120.
ostentant.] *Id est quasi oculis omnium conspiciendum proponunt.* Talem esse oportuit, quem non bella ciuilia.] 121.
Ad Scyllam & Marium hoc referri potest. Nec armis op 122.
pressa Respubl.] *Iulium Cæsarem hîc non malè intelligemus.* 123 Adoptatio.] *Scilicet Traiani facta à Nerua.* Nu- 124
mina exorata.] *Id est, precibus uicta.* An fas erat.] Lo- 125.
cus est à differentibus, quo docet Traiani electionem longè ab aliorum principum electione diuersam fuisse. Nam reliqui principes augurijs & hominibus ferè nuntiabantur, noster uerò diuinitus est constitutus, & mox approbatus ab homi-
nibus. Ad exercitum proficiscereris.] *Germanorũ, quò à* 126.
Domitiano mittebatur consul, cum Acilio Glabrione.

127 Largus cruor hostiarum.] Ἑκατόμβας *illas Homericas, hoc est, innumeras uistimas intelligit. Quas gentiles illi superstitiosi, cùm Cæsares nuntiabantur, consecrabant.* Sini-
128 ster volatus.] *Id est, fauens, secundus, prosper. I'dque cùm ad Deos refertur: cum ad homines, sinister uolatus infelix est. Quia id quod nobis sinistrum est, Dijs dextrum est. Cuius rei causam Plutarchus multis uerbis explicat. Et Plato libro de legibus sexto, dextram plagam appello, quæ solem orientem spectat.* Textus 89

Tibi ascendenti de more Capitolium, quanquàm non id agentium ciuium clamor, vt iam principi occurrit. Siquidem omnis turba, quæ limen insederat, ad ingressum tuum foribus reclusis, illa quidem vt tunc arbitrabatur deum: cæterùm vt docuit euentus, te consalutauit Imperatorem, nec aliter à cunctis omen acceptũ est. Nam ipse intelligere nolebas: recusabas enim imperare, recusabas, quod bene erat imperaturi. Igitur cogendus fuisti: cogi porrò non poteras, nisi periculo patriæ, & mutatione reipublicæ: obstinatum enim tibi non suscipere imperium, nisi seruandum fuisset.

COMMENTARIVS.

129 Tibi ascendenti de more in Capitolium.] *Respicit ad morem antiquum, quo receptum erat, ut profecturi in prouincias, in Templo Capitolino uota Ioui Opt. Max. nuncuparent. Hũc eundem morem Traianus seruauit.* De more.] *Sic Vergilius sexto Aeneidos:*

Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
Præstiterit: totidem lectas de more bidentes.

130 Non id agentium ciuium clamor.] *Id est, ciues te non ut*
131 *principem salutabant.* Limen insederat.] *Id est, in ingress*

gressum Templi capitolini erat. Sic superiùs dixit sydera insidere. Limen aliôqui significat id, quod ex transuerso in ianua est, à limo, id est, obliquo, quòd ingredientibus & egredientibus transuersum sit. Foribus reclusis.] *Id est, aper-* 132.
133 *tis.* Illa.] *Turba.* Deum.] *Scilicet iouem. Imperita mul-* 134
titudo uocauit Optimum Maximum, sed posteà Traiano declarato Imperatore, Optimi cognomen ei inditum fuit. Quare populi salutatio præsagiebat Traianum futurum Imperatorem: etsi hoc præter spem accidit. Omen acceptum est.] 135.
Hoc est, augurium de principe. Est enim omẽ, augurium quod fit ore, & futuræ rei pronuntiatio, ori hominis diuinitus incidens. Quid inter omen, ostentum, portentum intersit, copiosè disserit Vergilius Polydorus. Nam ipse intelligere.] *Plinius magnam hîc modestiam Traiani significat, qui tam altum honoris fastigium recusabat. Vulgò enim fieri uidemus, ut fugientibus honores, Magistratus, imperia inuitis obtrudantur: affectantibus uerò plerunque denegentur. Id Plato quoque tradit lib. VII. de Repub. Probitas autem homines ad honores euehere debet, non ambitio, non auaritia. Can. Episcopum. LXI. distiactione. Cùm Philippus Macedoniæ Rex ex pluribus fœminis liberos quæreret, eáq; re Alexander filius eius indignaretur, pater respondit: Ergo fili mi, cùm plures habeas regni competitores, da operam ut honestus ac probus euadas, ut non per me, sed per te regnum obtinuisse uidearis.* Quod bene erat imperaturi.] *Id est, imperium quod* 136.
honestè administrare potuisses. Igitur cogendus fuisti.] 137
Scilicet ut imperares. Conclusio est. Nisi periculo patriæ.] 138
Id est, nisi patria in periculum & discrimen uocaretur. Et 139.
mutatione Reipub.] *Hoc est, nutante & prolabẽte Repub. in ruinam. Est enim nutare, quandoque uacillare, & ruinam minari. Cicero sexta Verrina. Illud signum intereà nuta-*

bat, cum uectibus subiectis conarentur submouere. Obsti
natum enim tibi.] *Hoc est, apud te certum, fixum, statutum, & cum quadam pertinacia obfirmatum erat, in humeros tuos non suscipere* Imperium, *nisi id seruare tueriq; posses. obstinare, obfirmare est.* Liuius *lib.* 11. *Quoniam id certum atque obstinatum est, neque ego obtundam. Vnde obstinatus (authore* Festo) *id est, obfirmatus, perseuerans.* Text. 99

Quare ego illum ipsum furorem, motúmq; castren sem reor extitisse, quia magna vi, magnóq; terrore mo destia tua vincenda erat. Ac sicut maris, cœlíque temperiem turbines tempestatésque commendant: ita ad augendam pacis tuæ gratiam illum tumultum præcessisse crediderim. Habet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda noscantur. Occultat vtrorunque semina deus, & plerúnque bono rum, malorúmque causæ sub diuersa specie latent. Magnum quidem illud seculo dedecus, magnum reipub. vulnus impressum est. Imperator, & parens generis humani obsessus, captus, inclusus, ablata mitissimo seni seruandorum hominum potestas, ereptúmque principi illud in principatu beatissimum, quòd nihil cogitur. Si tamen hæc sola erat ratio, quæ te publicæ salutis gubernaculis admoueret, propè est, vt exclamem tanti fuisse. Corrupta est disciplina castrorum, vt tu corrector, emẽdatórque contingeres: inductum pessimum exemplũ, vt optimum opponeretur.

COMMENTARIVS.

141. Quare ego.] *Locus hic paulò altiùs ex antiquitatis monuuentis repetendus, & explicandus est.* Domitianus *duodecimus* Imperator, *ante* Coccæum Neruam *imperauerat. Hic cùm fœda*

fœda intemperantia & sæua Tyrannide Romæ *uteretur, à* Stephano *quodam* Domicillæ *procuratore occisus est. Quo interfecto, milites prætoriani turbas tragœdiásque excitant,* Interfectores Domitiani *ad supplicium rapere conantur.* Domitianum *enim interfectum grauiter dolentérque ferebãt milites, ut* Tranquillus *in* Domitiano *capite ultimo tradit. Cùm itaque* Nerua *apud milites paulatim in contemptum abiret,* Traianum *in* Imperium *adoptauit. Ad hanc rem respiciens* Plinius *dicit eum furorem militum extitisse, ut* Traiani *modestia uinceretur, & Imperium susciperet.* At si quid 142
maris.] *Expositio à simili.* Temperiem.] *Id est, dispositionem, statúmq; cœli.* Commendant.] *Id est, indicant.* 144
145 Pacis tuæ.] *Id est, modestiæ tuæ.* Illum tumultum.] *Id est, motum militum prætorianorum.* Turbo *uentus est, cum frigore maximo obiecta quæq; deturbans prosternénsq; ex depressæ nubis specie.* Tempestas *est procella hoc loco, & quiuis cœli inquietior status.* Vtroque nomine μεταφορικῶς *usus est* Cicero *in fine orationis pro* Cælio: *Nolite iudices, aut hunc naturâ ipsa occidentem uelle maturiùs extingui uulnere uestro, quàm suo fato: aut hunc nunc primùm florescentem, firmata iam stirpe uirtutis, tanquàm turbine aliquo aut subita tempestate peruertere.* Habet has vices conditio mortalium.] *Acutum epiphonema, quo* Traiani *modestiam & pacis gratiam de* Imperio *recusato, commendat. Quemadmodum aër modò serenus est, modò nebulosus, & mare subinde tranquillum, subinde procellosum:* Ita *mortalium uita interdum tranquilla, interdum turbulentis concussa est tempestatibus.* Vnde Plato *lib.* VII. *de legibus, uitam nostram rectè naui conferre uidetur: quæ huc & illuc tempestatibus raptatur.* & Heluidius Pertinax *ad humanæ conuersationis exemplum, per immensos labores assumptus eò prouectus est, ut fortunæ*

tunæ diceretur pila. Author *Aurelius uictor.* Allusit Plinius *ad peruagatam sententiam,* Omnium rerum est uicissitudo, Hoc *est uariæ fortunæ uices.* & *nũc læta contingunt unicuiq;, nunc tristia.* Quam *sententiam* Homerus *omnium poëtarum diuinissimus* (*ut* Platonis Encomio utar) O *dyssea δ expressit:* Ἀθὰρ θεὸς ἄλλτ' ἐπ' ἄλλῳ, Ζεὺς ἀγαθόντε κακόντε διδοῖ. Id *est* Erasmo interprete: Nunc huic nunc Iuppiter illi, Nunc *læta*
148 *immittit, nunc tristia.* Occultat vtrorũq; semina Deus.] Hoc *est initia, causas, tam secundi quàm aduersi.* Sed *diuersa*
149 *specie latent.* Nos *sæpe specie recti fallimur,* & *quod tan-*
150 *quam bonum amplexamur, malum est.* Magnum quidem illud.] Id *est, nota ea est inusta, quæ sequitur.* Magnum Reipubl. vulnus impressum est.] Id *est, magnum damnum* Reipub. *illatum est.* Translatio *est à corpore, re animata, ad*
151 Reempub. *rem inanimatam.* Imperator.] Nerua.[152] Parens
153 generis humani.] Id *est, conseruator, protector.* Obsessus.] A' *militibus prætorianis.* Est *articulus* & *similiter ca-*
154 *dens.* Oblata potestas seruandorum hominum mitissimo seni.] *Interfectores* Domitiani Nerua *seruare uolebat, sed milites furentes eos cruci suffigere uolebant.* Mitis-
155 simo seni.] Neruæ, *qui imperauit annum unum, menses quatuor,* & *dies nouem.* Vixit *sexagintaquinque annos, menses decem,* & *dies totidem.* Et *inter* Eutropium & Dionem *hac de re leuis dissensio est.* Oratio *est affectibus plena.* Ab *adiun-*
156 *ctis* Neruæ *misericordiam mouet.* Ereptúmq; principi.] Ab *alio cogi non posse in principe beatissimum esse uidetur.* Id *autem* Neruæ *ereptum fuit, cùm captus, obsessus, inclusus*
157 *à militibus tenebatur.* Si tamen hæc sola erat ratio.] Mi *litem rebellionem fecisse principi ratio fuisse uidetur, ut* Tra*ianus* Imperij *gubernaculis admoueretur.* Idq; *sequens clau-*
158 *sula declarat.* Prope est.] Ferè, *quasi, fateri debeo tanti*

hanc

hãc fuisse rationem. Corrupta est disciplina castrorum.] 159
Hoc *est, regimen castrense labefactatum est.* Corrector 160
emendatórq; contingeres.] Vt *tu castrensem disciplinam corrigeres* & *emendares.* Corrigere, *est ex curuis recta facere: emendare est uitia tollere.* Notus *est facetus iocus* Augusti Cæsaris: Galba *corpus habens gibba deforme* (*de quo uulgò iactatum est ingenium* Galbæ *malè habitare*) *cùm apud* Cæsarem *causam ageret,* & *subinde diceret:* Corrige *me* Cæsar: *si quid in me reprehendendum uideris.* Ego *inquit* Galba *monere te possum, corrigere non possum.* Corrigitur *quod repre*
hẽditur, corrigitur quod ex distorto fit rectum. Inductum 161.
pessimum exemplum] Vt *multi cõtra* Imperatorem *rebellionem facerent,* & *à* Traiano *in ordinem cogerentur.* Text. 20

Postremò coactus princeps, quos nollet, occidere: vt daret principem, qui cogi non posset. Olim tu quidem adoptari merebare: sed nescissemus quantum tibi debe ret imperium, si antè adoptatus esses. Expectatum est tempus, in quo liqueret, nõ tam accepisse te beneficiũ, quàm dedisse. Confugit in sinum tuum concussa respubli, ruénsque imperium super imperatorem, imperatoris tibi voce delatum est. Imploratus adoptione, & accitus es. Vt olim duces magni peregrinis, externísque bellis ad opem patriæ ferendam reuocari solebant: ita filius, ac parens vno eodémque momento rem maximam inuicem præstitistis. Ille tibi imperium dedit, tu illi reddidisti. Solus ergo ad hoc æui pro munere tãto paria accipiendo fecisti, imò vltrà dantem obligasti: communicato enim imperio solicitior tu, ille securior factus est. O' nouum, atque inauditum ad principatum iter, non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena vtilitas, alienus timor Principem fecit. Videaris licet, quod

est

est amplissimum, consecutus inter homines: felicius tamen erat illud, quod reliquisti, sub bono principe priuatus esse desijsti: assumptus es in laborum, curarúmq; consortium, nec te læta, & prospera stationis illius, sed aspera, & dura ad capessendam eam compulerunt. Suscepisti imperium, postquam alium suscepti pœnitebat. Nulla adoptati cũ eo, qui adoptabat cognatio, nulla necessitudo, nisi quòd vterque optimus erat, dignúsque alter eligi, alter eligere. Itaque adoptatus es, non vt prius alius, atq; alius in vxoris gratiam. Adsciuit enim te filium non vitricus, sed princeps: eodémque animo diuus. Nerua pater tuus factus est, quo erat omnium. Nec decet aliter filiũ adsumi, si adsumatur à principe.

COMMENTARIVS.

162 Postremò coactus princeps.] *Scilicet Nerua.* 163 Daret
164 principem.] *Scilicet Traianum.* Olim tu quidem.] *Amplificat Traiani laudes à tempore Reipubl. opportuno, quo adoptatus est.* Olim.] *Iampridem. Cicero tertio de Orato-*
165 *re: sic olim loquebantur.* Adoptari merebare.] *Scilicet à*
166 *Nerua.* Si antè adoptatus esses.] *Scilicet ante hæc tempo-*
167 *ra uitiosa.* Expectatio est tempus in quo liqueret.]
168 *Id est, liquidò constaret.* Non tam accepisse te beneficiũ quàm dedisse.] *Maior uidetur fuisse gloria Traiani in accipiendo Imperio, quàm laus Neruæ in dando. Militum enim*
169 *audaciam Traiani prudentia fregit.* Confugit in sinum
170 tuum.] *Id est, in tuum patrocinium.* Concussa Respub.]
171 *Id est, conturbata, commota, conquassata.* Super Imperatorem.] *Traductio, figura, quæ est repetitio uocis in alio ca-*
172 *su.* Vt olim duces.] *Comparatio, qua Neruam & Traianum opem tulisse Reipubl. occidenti, ostendit. Exemplum de Hannib*

Hãnibale inducere poteris: qui cùm in Italia de Imperij summa cum Romanis certaret, à Carthaginensibus, ut patriæ afflictæ opem ferret, reuocatus est. Ille tibi Imperium de- 163
dit, tu illi reddidisti.] *Scilicet represso furore militum prætorianorum.* Paria accipiendo fecisti.] *Id est, par pari re-* 164
tulisti. Est enim paria facere, par beneficium rependere, ut qui hominem occiderat, & eodem die alium plantauerat, paria se fecisse dicebat. Dionysius egregium quendam citharœdum magnificis promissis ad se pellexit, iubens ut quàm optimè caneret. Nam quò scitius caneret, hoc plus laturum præmij: cùm ille per dies aliquot accuratè cecinisset, nec quidquã daret Rex, cœpit flagitare mercedem. Tum Dionysius asseuerat se mercedem, quam pollicitus fuerat, bona fide soluisse: Quin, inquit, ille ne numus quidem mihi datus est. At Dedi, inquit Dionysius, uoluptatem pro uoluptate. Neque enim ego
minus te delectaui spe, quàm tu me cantu. Imò vltrò.] 165
ἐπανόρθωσις. Dantem obligasti.] *Hoc est, quasi beneficiũ* 166
cumulo reposuisti. Communicato enim.] *Ratio corre-* 167
ctionis. O nouum atq; inauditum.] *Inopinatum iter* 168
hoc est ad Imperium assequendum, & rarum beneuolentiæ genus. Omnis enim potestas impatiens consortis esse solet. Marcus Antonius quoque propinquum suum Luceum Annium uerum ad Imperij partem assumpsit. Sic Cicero pro Q. Ligario: Nouum crimen C. Cæsar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te detulit. Non te propria cupidi- 169
tas.] *Id est, uoluntas. Ad molestiam Traiani hæc pertinent, & eum se non in imperium, ut plerique intrusisse. Celebre est & peruagatum Caroli quinti Imperatoris, & memorabilium rerum gestarum gloria præstantissimi ἀπόφθεγμα: Pontificem electio, Regem natura, Imperatorem uis facit.* Vi- 170
dearis licet quod est amplissimum.] *Scilicet Imperium.*

περίφ

περίφραστις & circuitio est. Felicius tamẽ erat illud quod
271. reliquisti.] *Vitam priuatam,(ut puto) intelligit,quæ si pro-
bè honestéq; traducatur,si non felicior,at securior principum
uita uidetur.Nam uita principum,curis,laboribus, innumeris
negotijs,Euripi instar identidem recurrentibus implicata in-
uolutáq; est: Quoniam Imperia difficilè concordiam seruant.
Aut enim bellis peregrinis infestantur,aut suorum subditorum
rebelliones compescere,sedaréq; coguntur.à quibus molestijs
uita priuata aliena est. Hunc locum Demosthenes mirificè*
272 *tractauit in fine quartæ Philippicæ.* Consortium.] *Com-*
273 *munionem.* Stationis istius.] *Id est, status. Sic Cicero in
Catone Maiore,uitæ stationẽ uocat.Vetátq; Pythagoras in-
iussu Imperatoris,id est,Dei de præsidio stationéq; uitæ disce-*
274 *dere.* Nec te læta.] *Plinius significat Imperij stationem*
275 *bonis malisq; permistã esse.* Nulla adoptati.] *Nerua enim
Traianum Hispanum genere adoptauit,eúmq; suis cognatis
prætulit.Qua re docuit principem ob uirtutem non cognatio-
nem,uel opes, faciendum esse. Præclara uox Cyri Maioris,
Neminem debere suscipere principatum, nisi melior his, in-
quos susciperet.Sentiens hoc esse principis unicum munus,
alijs prospicere, & publicis consulere commodis. Id autem
non potest,nisi qui sapientia, uigilantia, animiq; integritate
alijs antecellat.Hoc uerò non præstat natiuitas,sed institutio*
276 *recta,& rerum usus.* Nulla necessitudo.] *Id est, necessa-
ria coniunctio.* Itaque adoptatus es.] *Augustus uictus
precibus uxoris suæ Liuiæ, Tyberium priuignum suum ado-
ptauit. Author Suetonius Tranquillus, cap.* LXXV. *in Au-
gusto.Sic Nero in gratiam Agrippinæ matris, adoptatur à*
277 *Claudio Tyberio.* Non vitricus.] *Vitricus est matris meæ
maritus,cuius correlatiuum est priuignus,id est,mariti uxo-
risue filius.Sic Augustus erat priuignus Tyberio, & Clau-
dius*

dius Neroni: Augustus enim Tyberij matrem Liuiam, & Claudius Neronis matrem,scilicet. Agrippinam in uxorem habuit. Nec decet aliter.] *Quàm si id omnium calculo* 278
probetur. Text. 279

An s.p.q.Romani exercitus,prouincias,socios trãs-
missurus vni,successorem è sinu vxoris accipias? sum-
mæque potestatis hęredem,tantum intra domum tuã
quæras:non per totam ciuitatem circunferas oculos, &
hunc tibi proximum, hunc coniunctissimum existi-
mes,quem optimum,quem diis similimum inueneris?
Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus.Non
enim seruulis tuis dominum, vt possis esse contentus,
quasi necessario hærede,sed principem ciuibus daturus
imperator, Superbum illud, & regium, nisi adoptes
eum,quem constet imperaturum fuisse,etiamsi nõ ado
ptasses:Fecit hoc Nerua,nihil interesse arbitratus, ge-
nueris an elegeris:si perinde sine iudicio adoptentur li-
beri,ac nascuntur,nisi tamen quòd æquiore animo fe-
runt homines, quem princeps parum feliciter genuit,
quàm quem malè elegit.Sedulò ergo vitauit hunc ca-
sum:nec iudicium hominum,sed deorum etiam in cõ-
silium adsumpsit.Itaque non tua incubiculo,sed in tẽ-
plo,nec ante genialem thorum,sed ante puluinar Iouis
Opt.Maximi adoptio peracta est, qua tandem non
seruitus nostra,sed libertas,& salus,& securitas funda-
batur.Sibi enim dij gloriam illam vendicauerunt:horũ
opus,horum illud imperium, Nerua tamen minister
fuit.Vterq; qui adoptaret tam paruit:quàm tu qui ado
ptabaris.Allata erat ex Pannonia laurea, id agentibus
diis, vt inuicti Imperatoris exortum victoriæ insigne
decoraret.Hanc Imperator Nerua in gremio Iouis col
loca

locarat,cum repentè ſolito maior,& auguſtior aduocata hominum concione,deorúmque,te filium ſibi, hoc eſt,vnicum auxilium,feſsis rebus adſumpſit.Inde quaſi depoſito imperio,qua ſecuritate?qua gloria lætus?nā quantulum refert,deponas, an partiaris imperium,niſi quòd difficilius hoc eſt:Non ſecus ac pręſenti tibi innixus,tuis humeris ſe,patriámque ſuſtentans,tua iuuenta,tuo robore iuualuit,ſtatim cõſedit omnis tumultus. Nõ adoptionis opus iſtud fuit,ſed adoptati.Atq; adeò temere fecerat Nerua,ſi adoptaſſet alium.

COMMENTARIVS.

An ſenatum. P.Q. Romanum.] *Exemplo probat id quod propoſuerat. Senatus, populus* Romanus, *Exercitus prouinciæ,non ſunt cõmittenda alicui ex uoluntate uxoris,ſed ei qui omni uirtutis genere præſtat.* Summæ poteſtatis hæredem.] *Id eſt,ſucceſſorem imperij.Sic enim hæreditas nihil aliud eſt,quàm ſucceſsio in uniuerſum ius,quod defunctus habuerat,hæres profectò eius iuris ſucceſſor erit. l.*Hæreditas.*de reg.iur.l.nihil aliud.de uerb.ſignific.* Per totam ciuitatem circunferas oculos.] *Id eſt, omnia* Reipubl. *membra collustres.* Dijs ſimilimum.] *Integrum inculpatúmq;.* Imperaturus omnibus.] *Haud abſimile huic, quod illa iuris pontificij regula docet:* Quod omnes *tangit, ab omnibus approbari debet.* Non enim ſeruulis tuis dominum.] *Locus hic ex intimis & penetralibus iuris ciuilis ſumptus eſt: & pluſculum habet difficultatis. Cuius hunc ſenſum eſſe exiſtimo:Qui aliquem Imperij ſucceſſorem adoptat, eum non tanquàm neceſſarium hæredem aſſumit:Sic enim dominum ſeruis hæredem facere,& proximiores hæredes reſpuere uideretur.quorum utrunque incommodum habet.Nam princip*

principem ciuibus adoptat, & ex omnibus ſucceſſorem (ut Plinius hic monet) aſſumere debet. Vt ergo locus planè & per omnes numeros intelligatur, triplex hæredum differentia ex titulo de hæred.qualit.& differ.lib.inſtit.11. adferenda eſt.Hæredum alij dicuntur neceſſarij:alij ſui & neceſſarij: quidam extranei.Et quisnam eſt neceſſarius?ſeruus qui hæres inſtitutus eſt:inde ſic uocatus.quia uolens nolens, omni modo poſt domini mortem, & liber ſtatim,& neceſſarius fit hæres. Sui & neceſſarij,uerbi gratia, filius, filia, nepos, & neptis ex filio,& deinceps liberi omnes,qui in poteſtate cuiuſque, cùm is moreretur, fuerunt. Extranei ſunt omnes præter iam dictos,qui iuri defuncti ſubiecti non ſunt. Fecit hoc Nerua.] *Traianum adoptauit.* Nihil intereſſe arbitratus.] *generatio natura fit,adoptio conſilio & iudicio.Quare adoptio certior eſt,natura uerò,quæ modò bonum,modò malum parit principem,incerta eſt.Id quod* Dion *in* Adriano *monet.* Niſi tamen quod æquiori animo.] *Etſi natura adoptiuam mentem nos genuit:tamen hi quos natura aduitia propenſiores produxit,potius merentur excuſationem, quàm hi, qui conſilio,iudicio,ratione electi mali tamen ſunt.* Aequiori animo.] *Id eſt,minus moleſtè.Sedulò ergo uitauit hunc caſum* Nerua,*ne in* Traiani *electione falleretur,non ſolùm hominum Iudicium(quod ſæpe fallax eſſe ſolet) ſed etiam Deorum in conſilium adhibuit.* Nec iudicium hominum.] *Scilicet tantùm.Boni authores ſæpe hanc particulam* Tantùm,Solùm,*ſubaudire ſolent.* Itaq; non tuo in cubiculo.] *Id eſt,non in loco priuato.* Sed in templo.] *Sed in loco ſacro.* Nec ante genialem thorum.] *Genialis thorus eſt, qui in nuptijs ſternitur,in honorem genij.Græce θαλαμὸς γαμικός.Vergilius ſexto Aeneid.*

Lucent genialibus altis,

Aurea fulcra thoris.

193 Ante puluinar.] *Puluinaria in Templis dicebantur lectuli Dijs dicati, in quibus eorum simulachra solent reclinari. Cicero pro domo sua: Ea aram & ædiculam & puluinar sub*
194 *saxe sacro dedicauit.* Adoptio peracta est.] *Adoptio (authore Theophilo) est actus legitimus naturam imitans, ad eorum, qui liberos non habent solatium, inuentus. Vide Aulum*
195 *Gellium lib. v. cap. xix.* Non seruitus nostra.] *Respi-*
196 *cit ad duram Domitiani seruitutem.* Fundabant.] *Stabiliebatur, firmabatur. Vergilius sexto Aeneidos:*

Anchora fundabat naues: & littora curuæ
Prætexunt puppes.

197 Sibi enim Dij.] *Libertatis nostræ partæ gloriam Dij sibi*
198 *arrogant.* Vendicauerunt.] *Vendicamus propriè ea, quæ nostra sunt, sed in aliena sunt potestate. Vnde extat titulus libro Pandectarum vi. de rei uendica. siue, ut alij legunt, uindicatione. olim enim magna affinitas erat (authore Fabio) inter*
199 *e & i, ut heri & here.* Allata erat.] *Traianus armis profligauerat Pannonios bello ferè insuperabiles, cuius victoriæ coronam Nerua ipso adoptionis die Ioui Capitolino consecrauit. Duplex est Pannonia: superior australis, inferior, Hon-*
200 *garia dicitur.* Laurea.] *De corona lauri multa Plinius*
201 *lib. xv.* Fessis rebus.] *Afflicto & occidenti Imperio.*
202 Hoc est.] *Expositio.*[203] Inde quasi deposito Imperio.] *In Traianum Nerua omnem imperij curam inclinauit.*

204 Nisi quod difficilius hoc est.] *Facere aliquē Imperij participem difficile est, propterea quòd omnis potestas impatiens*
205 *consortis est. Et mundus duos soles haud facilè fert.* Sustentans.] *Nerua.* Inualuit.] *Corroboratus est.*[207] Consedit
206 omnis tumultus.] *Seditio sedata est.* Non adoptionis.] *Non neruæ adoptantis opus istud fuit, Tumultū fuisse sedatū.*

Oblit

Texto 229.

Obliti ne sumus, vt nuper post adoptionem non desierit seditio, sed cœperit? irritamētum istud irarum, & fax tumultus fuisset, nisi incidisset in te. An dubium est, vt dare posset imperium Imperator, qui reuerentiā amiserat? Autoritate eius effectū esse, cui dabatur: Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator, & consors tribunitiæ potestatis, & omnia pariter, & statim factus es, quæ proxime parens verus, tantum in alterum filium contulit. Magnum hoc tuæ moderationis indicium, quòd non solum successor imperij, sed particeps etiam, sociúsque placuisti: nam successor etiam si nolis, habendus es, non est habendus socius, nisi velis. Credéntne posteri patritio & consulari, & triumphali patre genitum, cum fortissimum, amplissimum, amantissimum sui exercitum regeret, imperatorem non ab exercitu factum? eidem cum Germaniæ præsideret, Germanicī nomen hinc missum? nihil ipsum vt Imperator fieret agitasse? nihil fecisse, nisi quod meruit, & paruit? Paruisti enim Cæsar, & ad principatum obsequio peruenisti, nihílq; magis à te subiecti animo factum est, quàm quòd imperare cœpisti. Iam Cæsar, iam Imperator, iam Germanicus absens, & ignarus, & post tanta nomina, quantum ad te pertinet, priuatus. Magnum videretur, si dicerem, Nescisti te imperatorem futurum. Eras Imperator, & esse te nesciebas. Vt verò ad te fortunæ tuæ nuntius venit, malebas quidem hoc esse quod fueras, sed non erat liberum. An non obsequereris principi ciuis? legatus Imperatori? filius patri?

COMMENTARIVS.

Obliti ne sumus.] *Cum Nerua statuisset filium suum* 209

adoptare, idque à militibus intellectum esset, magis exarse-
210 runt. Irritamentum.] Incitamentum. 211 Fax. tumultus.]
212 Incendium. An dubium.] Plinius hoc agit, ut ostendat
Traianum non tam factum Imperatorem Neruæ potestate,
213 quàm sua propria authoritate. Imperator.] Nerua.
214 Qui reuerentiam amiserat.] In contemptum apud milites
215 suos obierat. Authoritate eius.] Traianum intelligit.
Authoritatem natura aut tempus adfert. Naturæ authoritas
in uirtute inest maximè. In tempore sunt ingenium, opes, ætas,
fortuna, usus, ars, necessitas, concursio nonnunquàm rerum for
216 tuitarum. Author Cicero in Topicis ad Trebatium. Simul
filius.] Traianus unico temporis articulo multa summa ac-
cepit beneficia, quæ singula uix in tota uita, consequi possunt
217 homines. Consors.] Particeps. 218 Tribunitiæ potestatis.]
Hanc Imperatores sibi uendicabant, quia sacrosancta & in-
uiolabilis erat. Sacrosanctum autem dicitur, quod iureiuran-
do intorposito est institutum, si quis id uiolasset, ut morte pœ-
nas penderet. Veteres itaq; lege lata inuiolatos Tribunos fe-
cerunt, ut & sacrosancti haberentur, sanciendo ut qui tribuno
plebis nocuisset, eius caput Ioui sacrũ esset: familia ad ædem
Cereris uænum iret. Author Liuius lib. III. ab urbe cõdita.
Sic C. Rabirius fuit factus reus perduellionis, quòd caput L.
Saturnini in conuiuio ludubrij causa circumtulisset. Author
Sueto. Tranquillus in I. Cæsare. cap. XII. Parens verus.]
Vespasianum intelligit, quem uerum appellat parentem, tan-
quam naturalem Titi parentem, non per adoptionem. Ma-
219 gnum hoc tuæ moderationis indicium.] Noua & inau
dita moderatio, modestia, mansuetudo Traiani, non solùm pla
cuit in Imperio, sed etiam cum Imperij socius esset, quod est
multò difficillimum. Tãtum igitur in summa rerum omnium
potestate modum seruare, incredibilis & propè diuinæ sa-
pient

pientiæ indicium est. Quæ res non uulgari digna est laude, ut
Aristoteles primo Rhetoricorum ad Theodecten docet:
Η εἰ παρὰ τὸ προσῆκον ἐπὶ τὸ βέλτιον καὶ τὸ κάλλιον, οἷον εἰ ὁ
εὐτυχῶν μὲν, μετρίως: ὁ δ' ἀτυχῶν, μεγαλοψυχός: Hoc est, aut
si præter expectationem quispiam ad melius aut honestius
uitæ geuus peruenerit, ut si prospero fortunæ flatu utatur, mo-
derate se gerat, si fortuna reflauerit, magno excelsoq; sit ani-
mo. oportet enim hominem in utraque fortuna (ut Plato in
Protagora ait) uerè esse quadratum: Vt neque à fortunæ tem
pestate de suo statu deijciatur, neq; fortunæ prosperitas eum
insolentiorem faciat. Quẽadmodum ergo Thucydides lib. VI.
Historianum de quadam Archedica filia Hippiæ Regis
Athenarum commemorat: quæ cùm esset filia Regis, uxor
Regis, soror & mater Regum, non est facta insolentior. Ita
etiam Traianus noster eodem pene die filius, Cæsar, Impe-
rator, Consors tribunitiæ potestatis, non ob id tamen spiritus
maiores sumpsit. Nam successor.] Successorem accipi- 220
mus uelimus nolimus, socium uolentes tantum. Socius autem
in grauioribus dicitur, & fortunæ arbitrio subiectis. Vnde
Cicero pro Marco Marcello, Marcellum socium suorum stu-
diorum uocat. Credent ne posteri.] Traianum à maio- 221
ribus suis laudat. Aut enim respondisse nobilitati (inquit Fa-
bius) pulchrum erit, aut humilius genus illustrasse. Quem lo-
cum Aristoteles primo ad Theodecten capite de genere de-
monstratiuo expressit: καὶ ὅσα κατὰ τὸ προσῆκον, οἷον εἰ ἀξία τῶν
προγόνων καὶ τῶν προϋπηργμένων πεποίηκε. Splẽdor Maiorum si
in Imperatore adsit, amplectendus est, sin absit, haud magno-
pere desiderandus. Aemilius Ferretus non sine honoris præ-
fatione à me nominandus, uir in omni antiquitate eminentissi-
mus, & Maiorum gentium Iurisconsultus, similem sententiam
crebris sermonibus de loco superiore usurpare solebat. In Iu-

ris consulto si adsit eloquentia, uehementer probo, si non adsit, non magnopere requiro. Quo uiro extincto non solùm omnes bonæ literæ, sed etiam ipsa Iuris prudentia periculum adire mihi uisa est. Loci autem præsentis sensus est: Posteri nostri credent Traianum ab exercitu sui amantissimo esse factum. Huius rei innumera sunt exempla apud Herodianum. Pa-
222 tritio & consulari.] *Hoc est, qui à primis senatoribus oriun*
223 *dus erat & consulatum gesserat.* Triumphali patre.] *Tra ianо qui in bello Iudaico decimæ legionis tribunus ob par=*
224 *tam uictoriam triumphum meruit.* Cum fortissimi.] ὁμοιό=
225 πτωτον. Germanici nomen hinc missum.] *Cùm Traianus trans Rhenanos populos immanitate barbaros, multitudine innumerabiles domuisset, Germanici cognomento donatus est. Nomen hoc loco pro cognomine recte accipitur. Veteribus enim Romanis nominis appellatione continentur etiam prænomen, cognomen, agnomen, quibus ueluti certo & proprio uocabulo quisque appellatur. Qua de re Eguinarius Baro eximius celebrisq; Iurisconsultus doctè scribit in §. si quis*
226 *in nomine. de leg. lib. instit. II.* Nihil ipsum agitasse.] Co
227 *gitasse. Agitare ad animum, facere ad operam refertur.* Me-
228 ruit.] *Scilicet Imperium ob excellentes uirtutes.* Paruit.] *Imperio. Id quod alij ambitione & opibus expugnant, hoc Traianus uirtutibus suis promeruit. Malè enim se res habet, cum id quod uirtute assequi debemus, pecunia expugnatur.*
229 Paruisti enim Cæsar.] *Rectè enim comicus ait, Obsequiũ*
230 *amicos parit.* Quàm quod Imperare cœpisti.] *In eo Traianus se subijcere uisus est, quod Neruæ morem gesserit.*
231 Iam Cæsar.] ἐπαναφορά.232 Post tanta nomina.] *Id est, splendidos titulos, amplas dignitates. Vergil. II. Aeneid.*

Auulsúmq; humeris caput & sine nomine truncus.

233 Et esse te nesciebas.] *Hoc est, non agnoscebas, non præ te fereb*

ferebas. An non obsequereris.] *Exornatio per interro=* 234
gationem. Legatus Imperatori.] *Legatus in bello dice=* 235.
batur, qui imperatoris uice fungebatur. Et maximam eo absente, in exercitu obtinebat potestatem. Cæsar lib. II. Commentar. Neque se ignorare quod sit officium legati, qui fiduciariam operam obtineret. Quo loco fiduciariam operam obtinere dixit, quia redeunte Imperatore aut consule, cedere eum oportet. Liuius lib. VIII. ab urbe condita hunc castrensem ordinem præscribit: miles Centurioni, Centurio Tribuno, Tribunus legato, legatus consuli, magister equitum dictatori parèret. Text. 13.

Vbi deinde disciplina? vbi mos à maioribus traditus, quodcunque Imperator munus iniungeret, æquo animo paratóque subeundi? Quid enim si prouincias ex prouinciis, ex bellis bella mandaret? eodem illo vti iure posse putes, cũ ad imperium reuocet, quo sit vsus, cum ad exercitum miserit? nihílque interesse ire legatum, an redire principem iubeat, nisi quòd maior sit obsequij gloria in eo, quod quis minus velit? Augebat autoritatem iubentis, in summum discrimẽ autoritas eius adducta, vtque magis parendum imperanti putares, efficiebatur eo quòd ab aliis minus parebatur. Ad hoc audiebas Senatus, populíque consensum. Non vnius Neruæ iudicium illud, illa electio fuit: nam, qui vbiq; sunt homines, hoc idem votis expetebant. Ille tantum iure principis occupauit, primúsque fecit, quod omnes facturi erant. Nec hercule tantopere cunctis factũ placeret, nisi placuisset antè, quàm fieret.

COMMENTARIVS.

Vbi deinde disciplina.] *Amplificatio ab instituto ma-* 236.

237 *iorum.* Quid enim si prouincias.] *Traductio est. Neque enim me pigebit harum figurarum lectorem, quoties incurrent, admonere. Nam, ut* Plato v 1. *de legib. ait,* δὶς τόγε καλῶς ῥηθὲν, οὐδὲν βλάπτει. *Nihil nocet bis dicere, quod rectè dicitur. Et in Philebo:* Ἃ καὶ πρότερον ἐμνήσθημεν εὖ δ' ἃ παροιμία δοκεῖ ἔχειν, τὸ δὶς καὶ τρὶς τόγε καλῶς ἔχον: ἐπαναπολεῖν τῷ λόγῳ δεῖν. *Quæ priùs memorauimus (inquit Socrates) præclarum nempe prouerbium quo dicitur, Quæ pulchra sunt, & bis & ter repetenda esse. Hic autem Plinius ait, si post unam prouinciam administratam, alterius administrationem tibi committeret, & uno bello à te confecto, alteri te præfecerit, id renuendum non esse. Prouincias dictas ait festus Pompeius, quòd populus Romanus eas prouicerit, id est antè uicerit. Alij à porro uincendo dictas uoluunt, ut prouinciæ sint regiones longè ab Italia bello acquisitæ, ad quas prætores Romani, uel consulares mitti solebant. Per translationem accipitur pro quouis munere & onere. Terentius in Phormione: O' Geta, duram suscepisti prouinciam. Quemadmodum hîc dixit Plinius, prouincias ex prouincijs manda-*

238 *re. Sic huius bella ex bellis serere.* Nisi quod maior.] *Egregia sententia: maiori gloria dignus esse uidetur, qui inuitus accipit imperium, quàm qui ui in illud se intrudit.*

239 Augebat authoritatem.] *Neruæ authoritas, quæ paulatim imminuebatur, Traianum flexit ac commouit, ut Impe-*

240 *rium susciperet.* Ad hoc audiebas.] *A' iudicio senatus, populi, & omnium denique consensu, Traiani electionem com-*

241 *probat.* Vbi sunt homines.] *Et Romæ & in prouincijs.*

242 Votis expetebant.] *Magnis desiderijs & optationibus.*

243 Ille tantùm.] *Nerua princeps id fecit te eligendo, quod o-*

244 *mnes facturi erant.* Nec hercule.] *Traiani electio & antequàm fieret, & postquàm peracta est, nemini non uehe-*

menter

menter placuit. Multa sunt, quæ dum fiunt placent: sed postquàm facta sunt, pœnitentiam comitem habent: ut Nuptiæ, Magistratus, Tyrannis, & de eo genere sexcenta. Id Plato in Alcibiade secundo, & libro de legibus III. *perpulchrè docet.* Atquo Dij.] *Hactenus Plinius docuit Traianum* 245
iure meritóq; Imperatorem esse factum. Neque id eum honestè recusare potuisse. Nunc Plinius eum laudat à modestia, moderatione, humanitate, quibus in imperio usus est. Multi tantisper probitatem & modestiam simulant, donec Imperij habenas teneant: quas cùm adepti sunt, mores plus quàm ferinos induunt. Text. 44

Atquo temperamento, Dij boni, potestatem tuã, fortunámq; moderatus es Imperator! Tu titulis & imaginibus, & signis: cæterum modestia, labore, vigilantia, dux, & legatus, & miles, cum iam tua vexilla, tuas aquilas magno gradu anteires: neque aliud tibi ex illa adoptione, quàm filij pietatem, filij obsequium adsereres, longámque huic nomini ætatem, longam gloriam precarere, iam te prouidentia deorum primum in locum prouexerat, tu adhuc in secundo resistere, atque etiam senescere optabas. Priuatus tibi videbaris, quandiu imperator & alius esset. Audita sunt vota tua, sed inquantum optimo illi, & sanctissimo seni vtile fuit: quem dij cœlo uendicauerunt: ne quid post illud diuinum, & immortale factum, mortale faceret. Deberi quippe maximo operi hanc quoq; venerationem, vt nouissimum esset, autorémque eius statim consecrandum, vt quandoque inter posteros quæreretur, an illud iam deus fecisset. Ita ille nullo magis nomine publicus parẽs, quàm quia tuus: Ingens gloria, ingénsque fama: cum abunde expertus esset, quàm bene humeris tuis sederet impe-

rium,tibi terras,te terris reliquit:eo ipso charus omnibus,ac desiderandus,quòd prospexerat,ne desideraretur. Quem tu lacrymis primum ita, vt filium decuit, mox templis honestasti:non imitatus illos, qui hoc idem,sed alia mente fecerunt.

COMMENTARIVS.

246. Temperamento.] *Moderatione. Cicero lib.11. de oratore ad Q. fratrem, Genus, forma, uires, opes, diuitiæ, cæteráq; quæ fortuna dat aut extrinsecus aut corpori, non habent in se ueram laudem, quæ deberi uni uirtuti putatur: sed tamen quod ipsa uirtus in earum rerum usu ac moderatione maximè cernitur, tractanda etiam in laudationibus hæc sunt: naturæ & fortunæ bona, in quibus est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non prætulisse se alijs propter abundantiam fortunæ, ut opes & copiæ, non superbiæ uideantur ac libidini, sed bonitati & moderationi fa-*
247. *cultatem & materiam dedisse.* Imperator tu titulis.] *Multa profert insignia, quæ Traianum Imperatorem longe latéq; ostentant. Sed modestia, labor, uigilantia, ducibus, legatis, militibus eum parem faciunt. Titulos ad inscriptiones laudatorias, imagines ad picturas, signa ad statuas retulit. Ouidius lib.11. fastor.*

At tua prosequimur studioso pectore Cæsar
Nomina: per titulos ingredimúrq; tuos.

Cicero in oratore, Demosthenis, imaginem ex ære uidi Cicero tertia Verrina: Delum uenit: ibi ex fano Apollinis religiosissimo noctu clàm sustulit signa pulcherrima atque antiquissima. Eáque in onerariam nauem conijcienda curauit. Et
248 *in paradoxis: Serui Atrienses, quos signa delectant.* Tua
249 vexilla.] *Signa militaria.* Tuas aquilas.] *Aquilam poëtæ*

tæ Iouis alitem, & armigeram fingunt. Imperatores huius imaginem præferebant in uexillis. Magno gradu anteires.] *Magnis & grandibus passibus. Magnificum Imperatoris incessum, grandibus & sonantibus expressit uerbis. Sic Homerus Iliados η Aiacis regium incessum & gladiatorium animum expressit:* 250

Ἤϊε μακρὰ βιβάς, κραδάων δολυχόσκιον ἔγχος. *hoc est,*
Passibus incedens magnis contorquet & hastam.

Neque aliud tibi.] *Complures breuem ætatem parentibus* 251.
optare solent, contra Traianus Neruæ diuturnos precatur annos, ut diu filij nomen retineat. Assereres.] *Vindicares,* 252.
arrogares. Iã te prouidentia.] *Notus hic locus ad modestiã* 253.
Traiani pertinet, quam post adoptionem seruauit. Est quoddam hominum genus adeò ingratum & peruersum, ut cùm amicorum præsidio ad florentem fortunam euectum est, eos ex altissimo fastigio despuit, spernit, contemnit. Traianus autem cùm adoptionis iure principem in Imperio locum tenere potuisset, secundo tamen ob patris reuerentiam contentus fuit: putauit enim non minus honorificum, in secundis (uiuente Nerua) quàm in primis consistere. Audita sunt vota tua.] 254
Traianus precatus erat à Dijs immortalibus, ut Nerua post adoptionem diuinitus factam, in beatorum domicilium tanquàm postliminio rediret, ne factum immortale, aliquo mortali obscuraretur. Quæ Traiani precatio à Dijs exaudita fuit. Nam Nerua cum Traiano tres uixit menses. author Aurelius uictor in Nerua. Sic multi principes præclaro aliquo facinore edito, fato concessêre, ne abiectum aliquid aut humile sequeretur. Cœlo vendicauerunt.] *In Domicilium bea* 255.
torum receperunt. Ita ille nullo.] *Neruam à patriæ cha-* 256.
ritate laudat, quòd Reip. optimum & sanctissimum præfecerit principem. Publicus parens.] *Patriæ.* Ingens glo- 258

257 *ria*

ria.] Gloria ut finit Cicero 11. de Inuent. est frequens fama cum laude. Aristoteles 1. ad Theodecten, Εὐδοξία δ' ἐστὶ ὑπὸ πάντων σπουδαίων ὑπολαμβάνεσθαι, ἢ τοιοῦτόν τι ἔχειν, ὃ πάντες ἐφίενται, ἢ οἱ πολλοὶ, ἢ οἱ ἀγαθοὶ, ἢ οἱ φρόνιμοι. Hoc est, Apud bonos esse in existimatione, aut præditmu esse eo, quod expetunt omnes, aut populares, aut boni, aut prudentes, est gloria.

259 Quàm bene.] Quàm bene Imperij administratio tibi con-
260 ueniret. Tibi terras.] ἀντιμετάβολή. 261 Desideraretur.]
262 Scilicet, si se peiorem successorem reliquisset. Quem tu la-
chrymis.] Pietatem & humanitatem Traiani exprimit. Thraces recens natos fletu excipiebant, mortuos gaudio prosequebantur: quod illos niderent magnum & spatiosum miseriarum mare ingredi: hos uerò in tranquillitatis portum esse receptos. Plato lib. x 11. de legib. docet mortuos deflendos nõ esse: Τῷ δὴ πολιτικῷ νομοθέτῃ, παραχωρεῖν χρὴ τὰ τοιάδε δακρύειν μὲν τὸν τελευτηκότα ἐπιτάττειν, ἢ μὴ, ἄμορφον· θρηνεῖν δὲ καὶ ἔξω τῆς οἰκίας, φωνὴν ἐξαγέλλειν, ἀπαγορεύειν: Hoc est, legislatori ciuili hæc concedenda sunt: Lachrymis enim mortuum prosequi aut non, cogere turpe est legumlatori. Plorare uerò & extra dommu uociferari, prohibendum est. Cui sententiæ Ennius, bonus poëta subscribit:

Nemo me lachrymis decoret: neq; funera fletu faxit.
Cur? uolito uiuus per ora uirûm.

Solon uerò in contraria sententia fuisse uidetur. Cuius hoc est elogium:

Mors mea ne careat lachrymis: linquamus amicis
Mœrorem: ut celebrent funera, cum gemitu.

Primùm in Græcia, deinde Romæ funebris lamentatio legibus soluta, sublata est. Vt ergo Ennius legibus paruit, ita Solon suas uiolauit. Nam ploratus, eiulatus, in alieno penitus sustulit: author Plutarchus in uita Solonis. Socrates quoque

quoque (ut hoc pro loci huius appendice appendamus) in Phædone etiam moriens iocabatur, iubens Aesculapio Gallum persolui, subindicans sumpto pharmaco se beneficium sanitatis sentire, cùm liberetur à corpore, unde omnes animi morbi pullulant, & scaturiunt. Quo fit, ut mortuum deplorare, non amantis, sed inuidentis esse uideatur. Mox tẽ- 263.
plis honestati.] Romani de more habebant eis templũ dicare, quos in Deorum numerum retulissent. Id quomodo fiebat, Blondus docet lib. 11 de Roma triumphante. Alia men- 264
te.] Id est, alia uoluntate. Text. 25.

Dicauit cœlo Tiberius Augustum, sed vt maiestatis numen induceret: Claudium Nero, sed vt irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum: sed ille vt Dei filius, hic vt frater videretur. Tu sideribus patrem intulisti, non ad metum ciuium, non in contumeliam numinum, nõ in honorem tuum, sed quia Deum credis. Minus est hoc, cum fit ab ijs, qui & sese deos putãt. Sed licet illum aris, puluinaribus, flamine colas, non alio magis tamen deum & facis, & probas, quàm quòd ipse talis es. In principe enim qui electo successore fato concessit, vna, itémque certissima diuinitatis fides est bonus successor. Num ergo tibi ex immortalitate patris aliquid arrogantiæ accessit? Num hos proximo diuinitate parentum desides, ac superbos potius, quàm illos veteres, & antiquos æmuleris, qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes inuaserant, contempserántque, cuius pulsi, fugatiq;, non aliud maius habebatur iudicium, quàm si triumpharetur.

COMMENTARIVS.

Dicauit cœlo.] Amplicatio ab exemplis tractata per 265
cont

266 contentionem. Vt maiestatis numen induceret.] Vt ostenderet Imperatores tanquàm Deos uenerandos esse. de consecratione Augusti uide Suetonium Tranquillũ & Dio=
267 nem. Claudium Nero.] Græculus quidam causam apud Claudium Cæsarem agẽs, inter altercandum per calorem hãc uocem in illũ emisit: Καὶ σὺ γεραὸς εἶ καὶ μῶρος. hoc est, & tu senex es & stultus: stultitiæ eum propalam insimulans. Nero quoque dicere solebat eum in terris desijsse morari, id est
268 morionem agere. Vespasianum Titus.] Titius uocabulo patris etiam Vespasianus dictus, patrem consecrandum curat, & in Deos referendum, ut Dei filius haberetur. Hic Titus imperauit annos duos, menses undecim, dies uiginti. Vixit annos quadraginta unum. & in eodem, quo pater apud Sabinos agro febre interijt. Huius mortem tam dolenter ciues tulerunt, ut quasi perpetuo custode orbatum terrarum orbem
269 desierent. Domitianus Titum.] Domitianus Domicillæ libertæ filius, germanus Titi, imperauit annos quindecim. Hic quoque Titum cœlo intulit, ut Dei frater uideretur. Quomodo autem hæc consecratio antiquitus fieret, docet Herodianus
270 lib. IIII. Tu syderibus.] ἀπόστροφος contentionis. 271 Pa-
272 trem intulisti.] Numinibus consecrasti. Non ad metum ciuium.] Non ut ciues timerent. Non in contumeliam nominum. ut Nero Claudium. Non in honorem tuum, ut Titus Vespasianum. Deum credis.] Esse Neruam. 274 Minus est
273 275 hoc.] Syderibus inferre. Qui sese Deos putant.] Vt
276 Domitianus, Titus. Sed licet.] Plinius hactenus ea commemorauit, quæ ante adoptionem & in ipsa adoptione gesta sunt. Nunc ea referre incipit, quæ adoptionem secuta sunt.
277 Flamine.] Sacerdote. Flamines sacerdotes dicebantur, quòd filo caput haberent cinctum. Græcè στεφανοφόροι. Flamines autem ab eo nomen habebant, cui sacra faciebant, ut Martialis,

Vulca

Vulcanus, Dialis, à Marte, Vulcano Ioue. In principe 278
enim.] Acclamatio continens firmißimum argumentum, Neruam diuinum esse, indicium est potißima dos mentis, quo Nerua elegit Traianum. Ergo Nerua diuinus fuit. Fato 279
concessit.] Rebus humanis exemptus est. Fatum hoc loco pro morte sumitur. Nihil enim tam necessarium impendet homini, quàm mors. Proprie fatum (quod εἱμαρμένη Græcis dicitur) est iussum dictúmq; diuinum. Chrysippus nobilis philosophus sic finit: Fatum, est sempiterna & indeclinabilis rerũ series, & catena uoluens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexáq; est. Vide Aulum Gellium lib. v I. cap. II. Plato lib. de legib. IIII. docet, Deum, fortunam, artem, omnia regere, quo loco fortunam, fatum uocat, duodecim ninarum sphærarum concursum. Huius etiam meminit libro de leg. X II. Certißima diuinita= 280
tis fides.] Certum & indubitatum argumentum. Num 281.
ergo tibi.] Immortalitas Neruæ non extulit animũ Traiani, quin potius modestiorem, moderationem eum fecit. id per interrogationem elegantem docet. Arrogantiæ.] Fastus. Vl= 282.
pianus Rhetor eximius in prima apud Demosthenem Philippica interesse putat inter ἀλαζονείαν, id est, arrogantiam, & εἰρωνείαν, id est, dißimulationem: quòd arrogantiæ sit, plura polliceri, quàm quis præstare poßit: dißimulationis uerò posse plura præstare, quàm quis polliceatur. Num hos pro- 283.
ximos.] Neronem, Claudium, Domitianum. Desides diui 284
nitate parentum.] Otiosos, ignauos, & quasi torpescentes in parentum claritate, & ei magnas tenebras offundentes.
285 Superbos.] Violentos. Illos veteres.] Camillos, Decios, 286.
Fabritios, Papyrios, Fabios, quasi dicat, hos potius imitari, quàm illos ignauos debes. Quàm si triumpharetur.] 287.
Certißimum argumentum uictoriæ Romæ erat triumphare.

Varro

Varro à Baccho huius rei inuentore, nomen deductum putat. Suetonius Tranquillus triumphum dictum existimat à tripli ci iudicio, exercitus, senatus, & populi. Hi enim omnes de triũ pho duci decernendo, iudicabant. Quantus erat honor apud Græcos, uincere certamine olympico, tantus Romæ triumphare. Magnus uerúsq; triumphus curulis erat: propterea quòd in curru deaurato, triumphator uehebatur. Ita olim Camillus post Veios debellatos, curru equis albis iuncto, urbem inuectus est. Cuius rei Cicero meminit in pisonem. De modo triumphandi, uide Alexandrum ab Alexandro.

Ergo sustulerant animos, & iugum excusserant: nec iam nobiscum de sua libertate, sed de nostra seruitute certabant: ac ne inducias quidem nisi æquis conditionibus inibant: legésque vt acciperent, dabant. At nunc redijt omnibus terror, & metus, & votum imperata faciendi. Vident enim Romanum ducem vnum ex illis veteribus & priscis, quibus imperatorium nomẽ addebant, contecti cædibus campi, & infecta victorijs maria. Accipimus obsides ergo non emimus, nec ingẽtibus damnis, immensisq; muneribus paciscimur: vt vicerimus, rogant, supplicant, largimur, negamus: vtrunque ex imperij maiestate. Agunt gratias, qui impetrauerunt: non audent queri, quibus negatum est. An audeãt? qui sciãt te adsedisse ferocissimis populis eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum nobis, cum Danubius ripas gelu iungit, duratúsque glacie ingentia tergo bella transportat, cum feræ gentes non telis magis, quàm suo cœlo, suo sidere armantur. Sed vbi in proximo tu, non secus ac si mutatæ temporum vices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebãtur, nostra agmina percusare ripas, & aliena occasione si permitteres

teres vti, vltróque hyemem suam barbaris inferre gaudebant.

COMMENTARIVS.

Ergo sustulerunt animos.] *Conclusio quæ inter tropos numeratur: Germanos & Dacos intelligit de quibus (authore Orosio) Domitianus inani elatus gloria, triũphum duxerat. Hi ergo non omnino superati, seruitutis iugum excutere conabantur, seséq; in libertatem asserere, & Romanos in duram conijcere seruitutem. Plato epistola octaua ad Dionis amicos:* Δούλεια γὰρ, καὶ ἐλευθερία ὑπερβάλλουσα μὲν ἑκατέρα, πάγκακον· ἔμμετρος δὲ οὖσα, πανάγαθον. μετρία δὲ, ἡ θεῷ δούλεια: ἄμετρος δὲ, ἡ τοῖς ἀνθρώποις. *Hoc est, seruitus & libertas utraque modum excedens, mala est: moderata uerò, bona. Moderata autẽ est seruitus, quam Deo exhibemus. Immoderata uerò quam hominibus.* Excusserant iugum.] *Seruitutem depulerant.* Iugum.] *Instrumentum rusticum, à quo hæc translatio sumpta est. Sic Plato eleganter lib. de leg. IIII.* Τὸ δὲ συμπνεῦσαι, καὶ κατάπερ ἱππέων ζεύγος καθ' ἕνα εἰς ταῦτον (τὸ λεγόμενον) ξυμφῦσαι, χρόνου πολλοῦ καὶ πανχάλεπον. *Hoc est, Conspirare, & tanquam equi sub uno iugo (ut dicitur) unum idémque efflare, arduum est omnino, & longo tempore indiget.* At ne inducias.] *Belli ferias. Inducias Græci appositissimo uocabulo* ἐκεχειρίαν *uocant, quasi dicas temperationem & uacationem à manibus. Vide Aulum Gellium lib. I. cap. XXV.* At nunc redijt.] *Aduersatiua, qua contrarium eius, quod dixerat, colligit. Significat enim Traianum uel solo nutu pellere, fugaréq; hostes. Plinius itaque hoc loco & in tota ferè oratione, Traiani uirtutes auget ex aliorum Imperatorum comparatione, Id quod generis demonstratiui proprium esse Aristoteles I. Rhetor. ad Theod. docet.*

293 Plinius hîc Traianum à rebus gestis laudare incipit. Imperatorium nomen.] Merebatur nomen Imperatoris, qui aliquot millia hostium iusta uictoria fudisset. Cicero lib. epistolar. familiar. 11. ad Cælium: ita uictoria iusta Imperator appellatus apud Issum, &c. Hîc itaque obseruãdum id est, quòd Imperator, priscorum ducum nomen fuit. A' quo posteà Impe
294 ratorem eum dixerunt, qui Rempubl. regebat. Vident
295 enim.] Ratio loci superioris. Contecti cædibus campi.] Grandiloquium est hoc dicendi genus, & paradoxum conti-
296 net. Accipimus obsides.] Explicat id, quod uictoriæ consequens esse solet. Accipere obsides, dare uel negare salutem
297 uictis. Rogant.] Supplicant. Largimur.] Cicero in oratione pro Marco Marcello mirificè Cæsarem laudat, quòd insuetata & inaudita clementia post uictoriam (quæ insolens
299 & superba esse solet) usus fuerit. Ex imperij maiestate.] Non ex hominum siue hostium arbitrio. Victoris enim est, uiictis leges præscribere. Agunt gratias.] Significat omnes
300 pendere à uirtute Traiani, nec ei obloqui audere. An au-
301 diant.] Correctio per interrogationem. Adsedisse.] Li-
302 mitibus præfuisse. Magni quidam uiri in ea sententia sunt, imperij sacrosancti electiones limitaneos dictos, eò quòd limitibus præessent: ne uel Germani in alias nationes impetum face-
303 rent: uel ne hostes in Germaniam irruerent. Ferocissimis populis.] Germanis & Dacis. De feritate corporum, animorúmq; præstantia Germanorum, luculentissima luculentissimorum Scriptorum sunt testimonia, Strabonis, Taciti, Solini, Iulij Cæsaris: qui nouem penè annos eorum uirtutem expertus est. Hic lib. 1. hunc in modum scribit: Dum paucos dies ad Vesontionem rei frumentariæ commeatúsq; causa moratur, ex percontatione nostrorum, uocibúsq; Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili

uirtute atq; exercitatione in armis esse prædicabat: sæpenumero sese cum his cõgressos, ne uultum quidem atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse: tantus subitò timor omnem exercitum occupauit, ut non mediocriter omnino mentes animósque perturbaret. Eo ipso tempore.] Hyemem intelli- 304
git, quam Germani facilè, Romani ægrè perferunt. Quum Danubius Ripas iungit, transmeabilis est. Duratúsq; gla 305
cie.] Constrictus, rigidus. Ingentia bella.] Ingẽtem exer 306
306 citum. Tergo.] Superficie. Transportat.] Transuehit, 307
bella hæc est locutio, & frequens historicis. Non telis ma- 308
gis.] Quemadmodum armantur telis Germani: ita etiam suæ regione, quia immensum & asperum frigus cæteras nationes repellit. Hîc obseruanda grauis dicendi figura. Grauissimus est stylus poëticus, proximus historicus: deinde Panegyricus utrunque transcendit. Danubius fluuius totius Europæ maximus, omnium penè historiographorum scriptis celeberrimus, oritur prope Rauracos mõtes, & in põtum sex uastis (ut quibusdam placet) fluminibus se exonerat. Vide Plin. lib. 1111. cap. x 11. Ammianum Marcellinum lib. x x 11. Pomponium Melam, Ausonium. Sed vbi tu.] Aduersatiua per conten- 309
tionem: qua ostendit Traiani tempore, Romanos (qui priùs Barbaros extimescebant) ultrà in eos irruisse. Nec ab eo instituto asperum Barbarorum cœlum, Danubius gelu duratus, denique immanitas, Romanos reiecit. Non enim dubitabant Traiano duce se omnia summa assequi posse, & populum penè inexpugnabilem, bello superare posse. Vbi in proximo 310
tu.] Scilicet Traianus fuisti. Temporum vices.] Vicis- 311
situdines, & quasi acri soluta hyeme æstas aduentasset.
311 Illi.] Germani & Daci. Latibulis.] Spelæis, antris abdi- 313
ti erant. Vltróque hyemem suam Barbaris inferre.] 314
Hoc est, quemadmodum Barbari priùs Danubij opportuni-

tate gelu constricti, nos repellebant: ita nos nunc eadem utentes occasione, in eos incursamus. Hic Plinius Traianum laudat à fortitudine: cuius laus tantò est gratiosior, quantò ipsa uirtus alijs est fructuosior. Præstantißima enim ea est uirtus, quæ aliorum respicit commodum potiùs, quàm eius, qui eam habet. Id pulchrè expreßit Aristoteles I. Rhetoricor. ad Theod. his uerbis: ἀνάγκη δὴ μεγίστας εἶναι ἀρετὰς τὰς τοῖς ἄλλοις χρησιμωτάτας. Necesse est eas maximas esse uirtutes (inquit) quæ alijs fructuosæ sunt. Quẽ locũ ingeniosè, ut omnia II. de Oratore ad Q. fratrẽ Cicero expreßit: Clemẽtia, iustitia: benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus iucunda est auditu, in laudationibus. Omnes enim hæ uirtutes non tam ipsis, qui eas in se habent, quàm generi humano fructuosæ putantur. Idem Cicero in Partition. Oratorijs docet.

Hæc tibi apud hosteis veneratio. Quid apud milites? quam admirationem quemadmodum comparasti? cum tecum inediam, tecum ferrent sitim, cum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium puluerem, sudorémque misceres, nihil à cæteris nisi robore, ac præstantia differens, cùm libero Marte nunc cominus tela librares, nunc vibrata susciperes, alacer virtute militum & lætus, quoties aut cassidi tuæ, aut clypeo grauior ictus incideret. Laudabas quippe ipse ferienteis, hortabarísque vt auderent: & audebant iam, cum spectator, moderatórque ineuntium certamina virorum arma componeres, tela tentares, ac si quod durius accipienti videretur, ipse vibrares.

COMMENTARIVS.

315 Hæc tibi apud.] *Transitio exornata per interrogationem. Est etiam locus à minori ad maius. Si hostes te ueneran-*

tur, multò magis milites tui. Ea enim est uera & solida laus, quæ ab hostibus nobis tribuitur. Id Aristotel. I. Rhetoric. his uerbis docet: ἀγαθὸν καὶ ὅλως, ὃ οἱ ἐχθροὶ βούλονται. Hoc est, Et illud in bonorum numero ponitur, quod hostes nobis optãt & cupiunt. Quum tecum mediam.] Ostendit Traianum participem earum calamitatum fuisse, quas milites sæpe perferre coguntur. Et authoritate dignitatéq; principem fuisse: fortitudine, modestia, labore, militem. Id quod etiam superiùs Plinius attigit: Imperator tu titulis & imaginibus &c. 316

Tecum ferrent sitim.] Miles quamuis & strenuus & horridus, tamen in Imperatoris sui uestigia incurrere conatur. Sic cũ milites Catonis illius plus quàm Stoici & rigidi Vticensis sitim tolerarent, eis Cato galeam aqua plenam obtulit. 317

Meditatione campestri.] Hoc est, ludicra exercitatione, prolusione militari. Imperatores in campo, milites suos, instar legitimi certaminis exercere solent, ut exerciti & in armis prompti, manus cum hoste conserant. Vt enim omnem artem absolutam & consummatam reddit aßiduus usus: ita etiam militarem. In qua Romani diligenter iuuentutem exercebant. Nam in disciplina militari tanquàm in sinu & tutela tranquillus Reipub. status acquiescit. Vt Valerius Maximus lib. II. cap. II. docet, Galba disciplinæ militaris seuerus erat obseruator. Vnde cùm ille castra ingrederetur, illud milites crebris usurpabant sermonibus: Disce militare miles, Galba est non Getulicus. Plato in Alcibiade primo præcipit ut iuuenes primùm discant literas, palæstricam & citharam pulsare. Aristoteles III. cap. VIII. libri Politicorum: Primùm discebant pueri literas, Gymnasticam, Musicam, & artem pingendi. Denique Cicero in oratione pro Murena, Disciplinam militarem cæteris omnibus anteferre uidetur. 318

Militaribus turmis.] Id est, equitibus oui instar instructis. Turma autem triginta, 319

320 *ginta, aut ut alij uolunt, triginta duos continet equites.* Præ-
321 stantia.] *Artis excellentia.* Libero Marte.] *Aequo, omni-*
322 *bus permisso.* Cominus.] *Ex propinquo?*[323] Librares.]
324 *Ingentibus uiribus intorqueres.* Alacer.] *Gestiens, quasi non lacer uel laceratus sensibus. Is alacer authore Pædiano,*
325 *dicitur, qui omnibus sensibus uiget.* Lætus.] *Hilaris, uultu*
326 *exprimens animi hilaritatem.* Cassidæ tuæ]. *Galeæ.*
327 Ictus incideret.] *Intentaretur.*[328] Laudabas.] *Laus militem ad fortiter pugnandum accendit. Sic iuuenes laude ad studia incitantur. Quintil. lib. 1. cap. 111. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui uictus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor exci-*
329 *tabit. In hoc desidiam nunquàm uerebor.* Arma componeres.] *Comparares & paria faceres. Nec enim sat est militem fulgẽtibus indutum armis uidere, nisi eis dextrè uti sciat.*

Quid cum solatium fessis, ægris opem ferres? Non tibi moris tua inire tentoria, nisi commilitonum antè lustrasses: nec requiem corpori, nisi post omneis dare. Hac mihi admiratione dignus Imperator non videretur, si inter Fabricios, & Scipiones, & Camillos talis esset: Tunc enim illum imitationis ardor, sempérque melior aliquis accenderet: postquàm verò studium armorum à manibus ad oculos, ad voluptatem à labore trãslatum est: postquàm exercitationibus nostris non veteranorum aliquis, cui decus muralis, aut ciuica, sed Greculus magister adsistit, quàm magnum est vnum ex omnibus patrio more, patria virtute lætari, & sine æmulo, ac sine exemplo secum certare, secum contendere, ac sicut imperat solus, solum ita esse, qui debeat imperare. Nónne incunabula hæc tibi Cæsar, & rudimenta, cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augens

augens, noménque Germanici iam tum mererere, cum ferociam, superbiámque Parthorum ex proximo auditus, magno terrore cohiberes? Rhenúmque & Euphratem admirationis tuæ fama coniungeres? cum orbem terrarum non pedibus magis, quàm laudibus peragrares, apud eos semper maior, & clarior, quibus postea contigisses? & necdum imperator, necdum Dei filius eras. Germaniámque cum plurimæ gentes, ac propè infinita vastitas interiacentis soli, tum Pyreneus, Alpes, immensíque alij montes, nisi his compararentur, muniunt, dirimúntque: per hoc omne spatium cum legiones duceres, seu potius (tanta velocitas erat) raperes, non vehiculum vnquam, non equum respexisti, leuis hic, non subsidium itineris, sed decus, cum cæteris subsequebatur, vt cuius nullus tibi vsus, nisi cum die statiuorum proximum campum alacritate, discursu, puluere attolleres.

COMMENTARIVS.

Quid cum solatium fessis.] *Laus Traiani à pietate,* 330
humanitate. Traianus enim uestem suam discidit, ut militum uulnera obligaret. Quod etiam Alexandrum magnum fecisse
331 *legimus.* Fessis.] *Defatigatis.* Aegris.] *Luctuosis, mœstis.* 332
Opem ferimus propriè miseris. Non tibi moris.] *A dili-* 333
gentia & uigilantia laus, quæ ut in omnibus, ita in Imperatore pernecessaria sunt. Inire tentoria.] *Tabernacula.* 334
Tentorium tabernaculum est, quo extensis uelis æstum cœlique iniuriam propulsamus. Vnde Vergilius:

Hîc sæuus tendebat Achilles. hoc est, tentoria habebat.

Nisi commilitonum ante lustrasses.] *Visitasses tentoria.* 335
Commilitones suos uocat milites modestiæ causa. Post 336

omnes dare.] *Magnum argumentum uigilantis principis. Sic Liuius de Hannibale: Princeps prælium inibat, ultimus confecto prælio excedebat. Locus hic communis est de uigilantia. Plato* τῶν νόμων ζ. ὕπνος γὰρ δὴ πολὺς, οὔτε τοῖς σώμασιν, οὔτε ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν, οὐδ' αὐταῖς πράξεσι ταῖς περὶ ταῦτα πάντα ἁρμόττων ἐστὶ κατὰ φύσιν. καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος, οὐδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος, ἀλλ' ὅστις τοῦ ζῆν ἡμῶν καὶ τοῦ φρονεῖν μάλιστά ἐστι κηδεμὼν, ἐγρήγορε χρόνον ὡς πλεῖστον, τὸ πρὸς ὑγίειαν αὐτοῦ μόνον φυλάττων χρήσιμον. *Hoc est, Somnus multus neque corporibus, neque animis nostris, neque his actionibus quas animo aut corpore exercemus, conueniens est, secundum naturam. Nemo enim dum dormit, alicuius est pretij, non magis quàm si non uiueret. Quare quicunque uiuere & sapere maximè cupit, multo uigilet tempore, & solùm seruet opportunitatem ad tuendam sanitatem. Homerus Iliados β.*

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

337 Hac mihi admiratione.] *Amplificatio à tempore. Si Traianus cum hominibus eximiè probis & egregiè fortibus uersaretur, tanta admiratione dignus non esset, quia eorum exempla eum accenderent ad præclara facinora. Nunc uerò quia conflictatur cum barbaris ingenijs, hominibus penè miraculum est, eum tam esse excellẽtem.* Inter Fabricios.] *Multitudinis numero usus est, ut amplificatio esset magnificentior. Sic Cicero: Non omnes possumus esse Scipiones aut Maximi.*

338 339 Talis esset.] *Tam excellens emendator correctórq; disciplinæ militaris.* Ardor imitationis.] *Aemulandi zelus.*

340 341 Melior.] *Excellentior.* 342 Postquàm verò.] *Plinius ostendit armorum studium in omnibus præterquàm in Traiano extinctum esse. P. Rutilius primus armorum tractandorum rationem militibus: tradidit author Valerius lib. II. cap. I.*

343 A' manibus.] *Operibus & exercitijs militaribus.* 344 Ad oculos.] *Ludos & spectacula,* Ad voluptatem.] *Ad oblectamentum.* Postquam exercitationibus.] *Meditationibus militaribus.* Decus muralis.] *Coronæ. Qua is donabatur, qui primus murum subijt.* Aut ciuita.] *Qua donabatur à ciues, qui ciuem seruasset. Qua de re disserit Aulus Gell. lib. V. cap. VI. & Alexan. ab Alexandro. lib. IIII. cap. XVIII.* Sed Græculus magister.] *Per contemptum id dictum est, quasi qui emollit animos, & effœminatos reddit. Græci enim in Gymnasijs & palæstris desidentes, in omnem defluxerunt mollitiem. Græculus hic magister similis Phormioni peripatetico esse uidetur. Qui ut Cicero II. de Orat. refert, Hãnibalem armis innutritum de re militari docebat, cùm ipse aciem nunquam uidisset. Quare Hannibal rectè inquit, Multos se deliros uidisse, sed magis delirum Phormione neminem.* Vnum ex omnibus.] *Quasi extra omnem ingenij aleam positus.* Patrio more.] *Vetere consuetudine patriæ.* Patria virtute.] *Armorum peritia quam Romani studiosè tractarunt.* Sine æmulo.] *Indicat Traianum, sine ulla imitatione obnixè ad uirtutem niti.* Secum contendere.] *Interpretatio.* Quàm magnum.] *Gratiora, inquit Fabius lib. III. cap. de genere demonstratiuo. quæ solus quis aut primus, aut certè cum paucis fecisse dicitur. Sic Cicero in oratione pro M. Marcello, Cæsaris clementiam laudat: At uerò huius gloriæ Cæsar, quam es paulò antè adeptus, socium habes neminem. Quem locum omnes isti Rhetorculi ex magno Aristotele (cuius fontibus hortulos suos irrigauerunt) mutuò sumpserunt. sic in enim scribit I. ad Theode.* χρηστεόν δὲ καὶ τῶν αὐξιτικῶν πολλοῖς: οἷον εἰ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μετ' ὀλίγων, ἢ ὁ μάλιστα πεποίηκεν: ἅπαντα. γὰρ ταῦτα καλά. *Vtendum inquit locis ad amplificationem facientibus: ut si quis aliquid solus, primus, & cum paucis fecisse dicatur, ista enim*

356 enim omnia, pulchra. Nónne incunabula.] Laudat Tra
ianum à rebus gestis in iuuentute. Suidas author est Traia=
num moderate traduxisse iuuentutem & prudenter senectu=
357 tem. Parthica lauro.] Corona ex lauro facta. Laurus enim
arbor triumphis propriè dicatur, ut Plin. lib. x v. cap. x x x.
358 docet. Gloriam patris augens.] Futuri scilicet Neruæ.
359 Noménq; Germanici.] Id est, titulum. antiquitus inter o=
mnes titulos nullus tam augustus & amplus fuit atque Ger=
manicus. Germania enim omnibus prouincijs uastitate, ma=
360 gnitudine præstat. Ex proximo auditus.] Sic Cicero pro
lege manilia, Pompeiũ laudat quòd Põpeij nomine audito &
361 aduentu, impetus hostiũ represserit. Magno terrore cohi
beres.] Qui hostes sine sanguinis profusione in fugam con=
362 uertisset, ei ouatio decernebatur. Rhenúmq; & Euphra=
tem.] Duos Imperij Romani terminos. Rhenus, ex Rheti=
cis alpibus oritur, & Belgas à Germanis & Romanis sepa=
rat. Euphrates nobilis Asiæ fluuius, ex Armeniæ montibus or
tum habet. Cuius meminit Plinius lib. v i. cap. x x x i i i.
363 Impleres.] Coniungeres. Plinius significare uidetur Traia=
364 num & in oriente, & occidente victorem fuisse. Cùm or=
bem terrarum.] Sic Cicero pro M. Marcello: Nec uerò dis=
iunctißimas terras citius cuiusque paßibus potuisse peragra=
ri, quàm tuis non dicam cursibus, sed uictorijs illustratæ sunt.
significat ergo Plinius Traianum laudibus suis ferè orbem
365 terrarum impleuisse. Apud eos.] Laudat Traianum à
gloria, quam merebatur apud omnes antequàm Imperator
366 esset. Filius Dei.] Neruæ. 367 Germaniámq;.] A corpo=
ris robore & laboris patientia, mirè Traianũ laudat. Quod
uastam & immẽsam Germaniã pedibus laboriosißimè pera=
368 grauarit, non equum, non uehiculum aspexerit. Infinita
369 vastitas.] Magnitudo. Sõli interiacẽtis.] Terræ in medio
iacent

iacentis. Tum Pyrenæus.] Montes Pyrenæi terminant 370
Galliam aquitanicam, & Hispanias à Gallis disterminant.
Vt autem huius loci ueritas constet, intelligendum est Pli=
nium Galliam cum Germania connectere: non enim pyrenæus
Germaniam à Gallia disiungit, ut Plinius hîc disertè dicit.
Aut Græcos imitatus est, qui Germaniam, Galliam, Italiam
sibi attribuunt. Alpes.] Montes hi sunt, qui Germaniam 371
& Galliam ab Italia separant. A quibus Gallia Cisalpina et
Transalpina dicta est. Hanc Cæsar initio primæ commenta=
riorum in Belgicam, Celticam, & Aquitanicam diuidit.
Nisi his comparentur.] Quia reliqui mõtes comparatione 372
Pyrenæi & alpium minores sunt. Quum legiones du=
cens.] Numerus peditum, quos legio continebat, tantopere 373
diuersis temporibus euariatus, ut magni authores in legionis
numero sibi non constent: constantior tamen opinio & rece=
ptior Vegetij est, qui legionẽ diuidit in decem cohortes, cohor
tem in quinquaginta manipulos, Manipulum in uigintiquinq;
milites. Varro lib. i i i i. de lingua latina, scribit legionem
primò trium milium fuisse. Vnde & milites esse dictos. Plu=
tarchus in Romulo author est, legionẽ sex milium peditum,
& sexcentorum equitum fuisse. Liuius in hac re sibi non con=
stat. Nam alicubi scribit legionem habuisse quina milia pe=
ditum, & equites trecentos. At lib. x x. belli Punici, ait sena
milia, ducentos pedites & trecenos equites continuisse. Ser=
uius sex milia peditum, & trecenos equites legioni ascribit.
Eutropius sex milia: Pomponius Mela meminit sex milium,
& ducentorum hominum C. Marium primò legionem descri=
psisse. Cæterùm in hac re superstitiosè uariorum authorum
numerare opiniones, superuacuum est: cùm numerus militum
in legione modò auctus, modò imminutus pro Imperatorum
iudicio fuerit. Seu potius raperes.] Mirabili celeritate 374

Traia

375 *Traianum traduxisse exercitum significat.* Non vehicu-
lis.] *Notat Domitiani & Caij mollitiem, qui sæpe uehiculis*
376 *utebantur.* Leuis.] *Scilicet equus non pressus equite.*
377 Nisi cum die statiuorum.] *Significat Traianum equo suo*
in certamine equestri usum fuisse. Cùm enim milites in stati-
uis agebant, continenter se campestribus prolusionibus exer
cebant.

Initium laboris mirer, an finem? multum est quòd perseuerasti, plus tamen, quòd non timuisti, ne perseuerare non posses. Nec dubito, quin ille, qui te inter illa Germaniæ bella ab Hispania vsque, vt validissimum præsidium exciuerat, iners ipse, alienísque virtutibus tunc quoque inuidus Imperator, cùm ope earum indigeret, tantam admirationem tui, non sine quodam timore conceperit, quantam ille genitus Ioue post seuos labores, duráque imperia regi suo indomitus semper, indefessúsque referebat, cum aliis super alias expeditionibus itinere illo dignus inuenireris. Tribunus verò disiunctissimas terras teneris adhuc annis viri firmitate lustrasti. Iam tunc præmonente fortuna, vt diu penitúsque perdisceres, quæ mox præcipere deberes. Neq; enim prospexisse castra, breuémque militiam quasi transisse contentus, ita egisti Tribunum, vt esse statim dux posses, nihílque discendum haberes tempore docendi.

COMMENTARIVS.

378 Initium laboris mirer.] ἀπορία *elegãs.* Perseuerasti.]
379 *Perdurasti in laboribus.* Plus tamen.] *Fortis animi indi-*
cium. Sic Fabius, durandum est, quia cœpimus: & si uiribus
380 *deficiemus, animo tamen perseuerabimus.* Nec dubito.]
Conf

Confert res gestas Traiani cum laboribus Herculis. Quem-
admodum Hercules cum immania & horrenda monstra do-
naret, Eurystheo sæuo Tyranno (cui parêre cogebatur) ma-
gnam gloriam acquirebat: ita Traianus cùm Germanos &
Barbaros contra Domitianum repelleret, et sibi magnam pe-
perit gloriam, & Domitiano ornamento fuit. Ab Hispa- 381
nia vsque.] *Amplificatio à loci longinquitate.* Validis- 382
simum præsidium.] *Imperatorem & propugnatorem im-*
perij Romani 383 Alienis virtutibus.] *Traiani.* Tunc.] 384
In ipsis bellis? 385 Ope earum.] *Virtutum.* Ille.] *Scilicet* 386
Hercules. 387 Sæuos.] *Duros, graues.* Referebat.] *Scilicet* 388
occisis monstris. Alijs expeditionibus.] *Laboribus mi-* 389
litaribus. Expeditio, est ab alijs negotijs explicatio, ut bello
quis uacet. Tribunus verò.] *Laus ab his, quæ in Tribu-* 390
natu gessit, & in teneris annis. Fabius lib. III. cap. VII.
Nanque aliâs ætatis gradus, gestarúmque rerum ordinem se-
qui speciosius fuit: ut in primis annis laudaretur indoles, tum
disciplinæ, pòst hoc operum, id est, factorum dictorúmque con-
textus. Aliàs in species uirtutum diuidere laudem, fortitudi-
nis, iustitiæ, continentiæ, cæterarúmque, ac singulis assignare,
quæ secundum quamq; earum gesta erunt. Tribunus militum
Authore Vegetio, à tribu tribuendóq; iure dictus. Hic à Græ-
cis χιλίαρχος *dicitur, quòd mille militibus & decem centu-*
rionibus præsit. Vt diu penitus perdisceres.] *Egregius* 391
locus, qui ad Imperatorem hîc refertur. Debet enim Impera-
tor futurus penitus ea perdiscere, quæ posteà imperaturus est.
Nam ut celebre Platonis & Aristotelis adagium est, ἄνευ
ἔστιν εὖ ἄρξειν μὴ ἄρχθεντα: *Hoc est fieri non potest ut bene ge-*
rat imperium, qui non tulerit imperium. In quauis etiam arte
multum diúq; ea discere oportet, quæ quis posteà docturus est.
Nunc autem plerique uixdum primoribus labris & extre-
mis

mis digitis artem aliquam attigerunt, & docent, ipsi nimirum etiamnum docendi. Fiunt me Hercule Magistri (quod miserum est) antequàm discipuli. Hieronymus ait: Præstat aliena uerecundè discere, quàm sua impudenter ingerere. Cuius rei meminit Salustius in bello Iugurt. in oratione C. Marij.

392 Neque enim.] *Expositio est loci superioris.*

Cognouisti per stipendia decem, mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum, & diuersam aquarum, cœliq; temperiem, vt patrios fonteis, patriúmque sidus ferre consuesti, quoties equos, quoties emerita arma mutasti. Veniet ergò tempus, quo posteri visere, visendúmque tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ somnum saxa prætexerint, quod denique tectum magnus hospes impleueris, vt tunc ipsi tibi ingentium ducum sacra vestigia ijsdem in locis mõstrabantur. Verum hæc olim: in præsentia quidẽ quisquis paulò vetustior miles, hic te commilitone cẽsetur. Quotus enim quisque, cuius tu non antè commilito, quàm Imperator? Inde est quòd propè omneis nomine appellat, quòd singulorum fortia facta cõmemoras. Hæc habent ad numeranda tibi pro Repub. vulnera, quibus statim laudator & testis contigisti. Sed tanto magis prędicanda moderatio tua, quòd innutritus bellicis laudibus, pacem amas: nec quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuæ die dicata capitolino Ioui laurus, idcirco ex occasione omni quæris triumphos. Non times bella, nec prouocas. Magnum est Imperator Auguste, magnum est stare in Danubij ripa, si transeas certum triumphi, nec decertare cupere cum recusantibus, quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur. Nam vt ipse nolis pugnare, moderatio: fortitudo tua præstat, vt neque hostes tui velint.

COMMENTARIVS.

Cognosti per stipendia decem.] *Decem, militias, annos. Amplificatio à tempore, quo Tyrocinium absoluit. stipendium enim, annuum militum salarium erat. Stipendium dictum à stipe, quòd per stipes, minuta æra colligantur. l. ager. de uerb. signific.* Mores gentium.] *Hoc quoque nomine Homerus diuina mente & consilio præditus, Vlyssem statim in uestibulo primæ odysseæ laudat: πολύτροπον enim, id est, πολλῶν ἔμπειρον τρόπων uocat.* Emerita arma.] *Soluta à militia.* Veniet ergo tempus.] *Laus ab admiratione posteritatis.* Hauserit campus.] *In quo campo immadueris. Haurire autem de copia dicitur.* Quæ refectiones tuas.] *Refocillationes. Refectio enim honestum uocabulum est de restauratione, cùm tantum cibi & potionis adhibemus, ut uires restauremus.* Tuas arbores.] *Vergilius lib. x. Aeneid. idem de Mezentio scribit.* Saxa prætexerint.] *Inumbrauerint.* Magnus hospes.] *Quasi Mezentius alter, de quo Vergil. lib. x. Aeneid.*

Ingreditúrq; solo & caput inter nubila condit.

Sacra vestigia.] *Monumenta. Sic Cicero in præfatione tertij de oratore, Crassi mortem deplorat, ex uestigiorum inspectione. Post eius interitum ueniebamus in curiam, ut uestigiũ illud ipsum, in quo ille postremò institisset, contueremur.*

403 Verum.] *Transitio.* Censetur.] *Recensetur, numeratur. Fuit tibi commilito. Similis locutio est apud Iustinianum lib. Institutio. 1. tit. de iure natur. gent. & ciu. Videmus etenim cætera animalia istius iuris peritia censeri. Et in l. 1. de iusti. & iur. Cuius loci sensus est, Cætera animalia adscribi numero*

393 394 395 396 397 398 399 400 401 402 404

mero eorum, qui iuris naturalis quandam habēt quasi prudentiam. Metaphora à censione deducta tributum soluentium.
405 Quotus enim.] *Exornatio per interrogationem.* Inde
est.] *Cyrus Persarum Rex à singulis commendatur, memo*
406 *ria, quòd omnium militum tenuerit nomina.* Fortia facta.]
407 *Præclara facinora.* Hæc habent.] *Epilogus bellicarum laudum. Nunc transit ad moderationem, qua in victorijs usus est. Magna laus est fundere, fugaréq; hostes: sed multò maxima moderatè uti victoria, hoc est, prostratis victisq; parcere. ob quam rem Cicero in oratione pro M. Marcello, Cæsarem*
408 *mirificè laudat.* Testis.] *Spectator.*[409] Sed tantò magis.]
Vera laus, uirtutis propria est, & eius, quod à uirtute nascitur. ob id à moderatione, quæ uirtus est, Traianum laudare
410 *incipit.* Innutritus.] *Educatus.*[411] Tanta moderatio.]
412 *Modestia, modus & in rebus omnibus mediocritas.* Pacem
amas.] *Consilia tua, pacis socia sunt. Cui semper consulendum est, quæ nihil habitura est insidiarum. Est hoc loco fre-*
413 *quentatio. Multa enim coaceruat.* Laurus.] *Allata à Pan-*
414 *nonia.*[412] Quæris.] *Captas.*[413] Non times bella.] *Illata ab*
416 *alijs.* Nec prouocas.] *Irritas.*[417] Magnum est.] *Apostrophe ad Traianum exornata per ἐπανάληψιν: quæ est,*
418 *quando idem bis repetitur per interpositionem.* Certum
triumphi.] *Te esse, & pro certo te habere, te triumphatu-*
419 *rum.* Quorum alterum.] *Stare contra Barbaros.*[420] Alterum.] *Nolle certare cum recusantibus. Est hoc loco Di*
421 *stributio.* Nam vt.] *Regressio: quæ est, quando propositum iteratur & diuiditur.*

Accipiet ergo aliquando capitolium non inaneis currus, nec falsæ simulachra victoriæ: sed Imperatore veram, ac solidam gloriam reportante tranquillitatem, & tamen confessa hostium obsequia, vt vincendus nemo

mo fuerit. Pulchrius hoc omnibus triumphis: Neque enim vnquam nisi ex cōtemptu imperij nostri factum est, vt vinceremus. Quòd si quis barbarus rex eò insolentiæ furorísq; processerit, vt iram tuam, indignationémque mereatur, næ ille siue interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu præcipiti monte defenditur: omnia hæc tam prona, támque cedentia virtutibus tuis sentiet, vt subsedisse monteis, flumina exaruisse, interceptum mare, illatásque sibi non classeis nostras, sed terras ipsas arbitretur. Videor iam cernere non spolijs prouinciarum, & extortò socijs auro: sed hostilibus armis, captorúmque regum catenis triumphum grauem. Videor ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora noscitare. Videor intueri immanibus aulis Barbarorum onusta fercula, & sua quenque facta vinctis manibus sequentem, mox ipsum te sublimem, instantémque curru domitarum gentium tergo, ante currum autem clypeos, quos ipse perfoderis. Nec tibi opima defuerint, si quis regum venire in manus audeat: nec modò telorum tuorum, sed oculorum etiam, minarúmque coniectum toto campo, totóque exercitu opposito perhorrescat. Meruisti proxima moderatione, vt quandocunque te vel inferre, vel propulsare bellum coëgerit imperij dignitas, non ideò vicisse videaris, vt triumphares, sed triūphare, quia viceris. Aliud ex alio mihi occurrit. Quàm speciosum est enim, quòd disciplinam castrorum lapsam, extinctámque refouisti, depulso prioris seculi malo, inertia & contumacia, & dedignatione parendi? Tutum est reuerentiam, tutum charitatem mereri. Nec ducum quisquam aut non amari à militibus, aut amari timet: & inde offensę,

gratiæq: pariter, securi instant operibus, adsunt exercitationibus, arma, mœnia, viros aptant. Quippe non is princeps, qui sibi imminere, sibi intendi putet, quod in hosteis paretur: quæ persuasio fuit illorum, qui hostilia cum facerent, timebant. Eodem ergo tempore militaria studia, nec animos modò, sed & corpora ipsa languescere, gladios etiam incuria hebetari, retundique gaudebant. Duces porrò nostri non tam regum exterorum, quàm suorum principum insidias: nec tam hostium, quàm commilitonum manus ferrúmq; metuebant.

COMMENTARIVS.

422 Accipiet ergo.] *Laus à ueris triumphis Traiani quos inanibus Domitiani, Neronis, & aliorum Imperatorũ trium*
423 *phorum simulachris anteponit.* Non inanes currus.] *Non*
424 *imaginarios.* Nec falsæ simulachra victoriæ.] *Qui triumphum falsum & inanem celebrabant, tabulata a seruis circunferri iubebant. In quibus pictura exprimebat Romanos cum hostibus aperto Marte congredi, Romanos in fugam conuertere hostem, Romanos oppida expugnare, Romanos aut trucidare, aut in catenas hostem conijcere. Hæc erant falsæ victoriæ signa & simulachra. Sic legimus Iulium Cæsarem Massiliæ imaginem, Romæ in triumpho circuntulisse.*
425 Veram ac solidam gloriam.] *Firmam & stabilem pacem, tranquillitatem, sedationem omnium rerum: sæpe enim*
426 *pax est, & tamen non est tranquillitas.* Confessa.] *Aper-*
427 *ta.* Nisi ex contemptu.] *Nisi cum hostes imperium no-*
428 *strum contemnerent.* Eò insolentiæ.] *Procacitatis, pro-*
429 *teruiæ.* Interfuso mari.] *Docet neminem tam natura esse munitum, qui non sentiat uires Traiani, si cum irritauerit.*

Inter

430 Interfuso.] *Interiecto.* Omnia hæc.] *Munimenta natu-* 431.
432 *ræ.* Vt subsedisse mõtes.] *In planũ depressos esse.* Non 433
classes.] *Exercitum naualem.* Sed terras ipsas.] Vrbes 434
ipsas. Grandis est & sublimis oratio. Videor iã cernere.] 435.
Elegans ὑποτύπωσις futuri triumphi Traiani. Etsi enim de rebus futuris certi aliquid statuere difficile est: scriptores tamen rerum sæpe tanquam ex aliqua specula, ea quæ futura sunt, prospicere solent. Non spolijs prouinciarum.] *Spo-* 436.
lia proprie arma & uestes dicuntur, quæ hostibus detrahuntur sed præda cuiuscunque generis est. Prouinciarum.] 437
Imperio Romano subiectarum. Hostilibus armis.] Con 438
tentio. Grauem triumphum.] *Onustum, oneratum.* De 439
modo triumphandi uidendus est Ouid. lib. IIII. Trist. Elegia II. Plutarchus in Aemilio. Videor ingentia ducum no- 440
mina.] *Nomina Barbarorum, quæ audientibus terrorem incutiunt.* Nec indecora.] *Non inconuenientia, non infe-* 441.
442 *riora.* Noscitare.] *Agnoscere.* Videor intueri.] ἐπα- 443.
444 ναφορά. Immanibus ausis.] *Rebus gestis.* Onusta fer- 445.
cula.] *In quibus aliquid præferebatur.* Sua facta.] *Imagi* 446
nes suorum factorum. Nec tibi optima.] *Spolia, quæ dux* 447.
detrahit duci. Vergil. lib. Aeneid. x.

Aut spolijs ego iam raptis laudabor opimis.

Venire in manus audeat.] *Conserere tecum manus.* 448.
449 Coniectum.] *Euibratum.* Meruisti.] *Moderatio Tra* 450
iani triumphum meruit, quam uicit. Non autem uicit ut triumpharet. Vel inferre.] *Infert bellum, qui author est belli: propulsat: qui illatum reijcit.* Imperij dignitas.] *Non tua* 451
libido. Non ideo.] ἀντιμετάβολή, *Commutatio. Figura est, cùm ordo sententiæ inuertitur. ut, non uiuendum ut edas: sed edendum, ut uiuas.* Aliud ex alio.] *Struit causas transitionis.* Occurrit.] *Vltrò se offert.* Contumacia.] *De con-* 452 453. 454 456

455

tumacia militũ uidendus est Cornelius Tacitus lib.x.& xx.
457 Et inde.] *Ex amoribus & odijs.* Arma.] *Articulus.* 458
459 Hostilia cùm facerent.] *Crudelia in bonos exercerent.*
460 Duces porrò.] *Hunc locum de metu concludit. Sub alijs Imperatoribus insidiarum erant plena omnia.*

Est hæc natura sideribus, vt parua, & exilia validiorum exortus obscuret. Similiter imperatoris aduentu legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine vllius diminutione maior, eandem autoritatem præsente te quisque, quam absente retinebat. Quinetiam plerisque ex eo reuerentia accesserat, quòd tu quoque illos reuerebare. Itaque perinde summis atque infimis charus, sic imperatorem commilitonémque miscueras, vt studium omnium, leborémque & tanquam exactor intenderes, & tanquam particeps sociúsque releuares. Feliceis illos, quorum fides & industria non per internuncios & interpretes, sed ab ipso te, nec auribus tuis, sed oculis probantur. Consecuti sunt, vt absens quoque de absentibus nemini magis, quàm tibi crederes. Iam te ciuium desideria reuocabant, amorémque castrorum superabat charitas patriæ: iter inde placidum, ac modestum, vt planè à pace redeũtis. Nec vere ego in laudibus tuis ponam, quod aduentum tuum non pater quisquam, non maritus expauit. Affectata aliis castitas, tibi ingenita & innata, intérque ea, quæ imputare non possis. Nullus in exigendis vehiculis tumultus, nullum circa hospitia fastidium: Annona, quæ cæteris. Ad hoc comitatus accinctus, & parens. Diceres magnum aliquem ducem, & te potissimum ad exercitus ire. Adeò nihil, aut certè parum intererat inter imperatorem factum, & breui futurum.

COM

COMMENTARIVS.

Est hæc natura sideribus.] *Similitudo elegans, qua docet Traiani gloriam non inumbrare splendorem aliorum. Similis locus est in oratione pro M. Marcello. Quicquid quiuis amplum est, id certè parũ est tum, cùm est aliquid amplius.* 461.
Tu autem.] *Accommodatio similitudinis.* Diminutione.] *Detrimento.* 462 463
Ex ea reuerentia accesserat.] *Ob tuã præsentiam in maiore fuerunt honore.* 464
Itaque perinde.] *Magna Traiani laus, quòd & honoratorum & gregariorum militum gratiam retinere potuerit. Et Imperatoriam gravitatem militarémq; comitatem ita coniunxerat, ut omnium laborem & augeret, & subleuaret.* 465.
Exactor intenderes.] *Quasi censor officium cuiúsque augeres. Sic Quintil. assiduum studiorum exactorem uocauit.* 466.
Felices illos.] *Exclamatio, qua Plinius ostendit eos felices fuisse, qui fidei suæ & industriæ spectatorem & testem Traianum habuerunt.* 467.
Quorum fides.] *Qua militiæ sacramentum retinetur.* 468
469 Industria.] *Qua miles labori non deest.* Nec auribus.] *Duobus sensibus testimonia deponuntur, auribus & oculis. Sed oculorum testimonia certiora sunt, quia sic nobis ipsis credimus, testimonijs per aures, alijs. Sic Rhodolphus Agricola: Aures alijs, oculi sibi credunt.* 470
Iter inde.] *A Danubio.* 471
Nec verò.] *Laus à pudicitia Traiani. Nullius enim filiam, nullius uxorem attrectauit. Quorum utroque crimine Vitellium contaminatum fuisse historiæ testantur. Nec ab eo alieni Domitianus, & Cõstantinus fuerunt.* 472.
Affectata castitas.] *Simulatione appetita. Est amplificatio à castitate naturali Traiani.* 473.
Intérq; ea.] *Ob castitatem Traianus gloriari nõ debet. Nam ea diuinitus sibi concessa est. ob ea autem, quæ à naturâ tribuuntur, nemo laudem aut uituperium meretur.* 474
Nullus in.] *Laus Traiani ab humanitate qua erga hospi-* 475

tes in Annona exigenda & erga ſubditos in uehiculis condu-
476 *cendis uſus eſt.* Comitatus accinctus.] *Multitudo comi-*
477 *tantium expedita.* Diceres.] *Ετέροσις perſonæ, diceret ali-*
quis. Ac te potiſſimum.] *Modeſtum. Solebant enim duces*
euntes ad exercitum ſimulare uirtutem tantiſper, donec impe
rium aſſecuti fuiſſent.

Quàm diſsimilis nuper alterius principis tranſitus ſi tamen tranſitus ille, non populatio fuit, cum abactus hoſpitum exerceret, omniáque dextra læuáq; peruſta, & attrita, vt ſi vis aliqua, vel ipſi illi barbari, quos fugiebat, inciderent, perſuadendum prouincijs erat, illud iter Domitiani fuiſſe, non principis. Itaq; non tam pro tua gloria, quàm pro vtilitate communi edicto ſubieciſti, quid in vtrũque veſtrum eſſet impenſum. Adſueſcat Imperator cũ imperio calculum ponere. Sic exeat, ſic redeat, tanquam rationem redditurus. Edicat quid abſumpſerit. Ita fiet, vt non abſumat quod pudeat dicere. Præterea futuri principes velint nolint, ſciant, tanti tuum conſtat, propoſitisq́; duobus exemplis meminerint, perinde coniecturam de moribus ſuis homines eſſe facturos, prout hoc, vel illud elegerint. Nónne his tot, tantisq́, meritis nouos aliquos honores, nouos titulos merebare? At tu etiam nomẽ Patris patriæ recuſabas. Quàm longa nobis cum modeſtia tua pugna, quàm tardè vicimus? Nomen illud, quod alij primo ſtatim principatus die, vt Imperatoris & Cæſaris receperunt, tu vſque eò diſtuliſti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parciſsimus æſtimator iam te mereri fatereris. Itaque ſoli omnium contigit tibi, vt Pater patriæ eſſes antè, quàm fieres. Eras enim in animis, in iudicijs noſtris. Nec publicæ pietatis intererat, quid vocarere, niſi quòd

quòd ingrata ſibi videbatur, ſi te imperatorem potius vocaret, quàm Cæſarẽ, cum Patrẽ experiretur. Quod quidem nomen, qua benignitate, qua indulgentia exerces, vt cum ciuibus tuis, quaſi cum liberis parens viuis? vt reuerſus Imperator, qui priuatus exieras, agnoſcis, agnoſceris? eoſdem nos, eundem te putas, par omnibus, & hoc tantum cæteris maior, quo melior.

COMMENTARIVS

Quàm diſsimilis.] *Confert tranſitum Domitiani peſſi-* 478
mi principis, cum tranſitu Traiani optimi principis. Si ta- 479
men.] *Correctio: qua tollitur id quod dictũ eſt, & ponitur*
magis idoneũ. Abactus hoſpitũ exerceret.] *Hoſpites à* 480
ſuis ſedibus turbaret. Abactus etiam uocatur furtum illud quo
pecudes à paſcuis abiguntur. Quod alio nomine abigeatus di-
citur. Vnde extat titulus in Pandectis de Abigeis. Dextra 481.
læuáq;.] *Vndique. Id quod Demoſthenes prima philippica*
κύκλῳ πανταχῇ dixit. Illi ipſi Barbari.] *Germani Sar-* 482.
matæ.[483] Fugiebat Domitianus.] Iter Domitiani fuiſ- 484
ſe.] *Hominis flagitioſi.* Itaque.] *Cùm Traianus redijſ-* 485.
ſet ab expeditione in urbem, edicto præſcripſit, quid Reſpu-
blica ſuo & Domitiani nomine expoſuiſſet. Adſueſcat.] 486.
Amplificatio loci ſuperioris per adhortationem. Hortatur
enim, ut Imperator reddat rationem accepti & expenſi.
Calculum ponere.] *Rationem ſubducere. Sic ſtudioſorũ eſt* 487.
calculum cum literis ponere, hoc eſt inire & reddere ratio-
nem. Præterea.] *Plinius Traianum & Domitianum cæ-* 488.
teris in exemplum inducit. Nónne his.] *A nouis honori-* 489
bus, quos Traianus merebatur, laus. Cuius loci meminit Ari-
ſtoteles 1. ad Theodect. Καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ποιήθη, οἷον
εἰς Ιππόλοχον καὶ ἁρμοδίον καὶ ἀριστογήτονα τὸ ἐν ἀγορᾷ στα-

θλωαῖ. Is dignus laude est, qui primus orationem laudatoriam meruit, ut Hippolochus, Armodius, Aristogiton, quibus tyrannicidis statuæ in foro erectæ fuerunt. Nouos titulos.] *Nomina speciosa.* Nomen patris patriæ.] *Primus nomen patris patriæ Romulus meruit: Deinde Camillus: posteà Cicero in rebus Togatis.* Quam longa.] *Ostendit Plinius Traianum noluisse nomen patris patriæ agnoscere, nisi ubi id magnis in Rempub. meritis promeruisset.* Imperatoris & Cæsaris.] *Tanquam titulum pertinentem ad Imperatorem & Cæsarem.* Pater patriæ esses.] *Effusissimo in ciues amore.* Antequàm fieres.] *Id cognomenti accepisses.* Eras in animis.] *αἰτιολογία loci superioris. in quo Plinius esse, & fieri, subtiliter distinxit.* Eras in animis.] *Collegeras gratiam nostram, & amicitiæ nostræ fores tuis beneficijs patefeceras. Et ut uerbo uno dicam, nobis charus eras. Similis est uenustus loquendi modus apud Ciceronem in præfatione 121. Officiorum uiuere in oculis ciuium, hoc est ciuibus esse charũ, & in pretio. Sic Terent. in Eunucho, Rex te ergo in oculis habet. Et Cic. ad Q. fratrem, ferre in oculis.* In iudicijs nostris.] *Rectè & syncerè de te iudicabamus.* Quid vocarere.] *Quo nomine.* Ingrata.] *Patria.* Quod quidem.] *Amplificatio à nomine, acutis exornata interrogationibus. Qua docet tam splendidum & magnificũ nomen, animum Traiani non attollere in fastum & superbiam.* Benignitate.] *Studio benefaciendi.* Hoc tam cæteris maior, quò melior.] *Dempta uirtute cæteris es par.*

Ac primum, qui dies ille, quo expectatus, desideratúsque vrbem tuam ingressus es? Iam hoc ipsum, quòd ingressus es, quàm mirum, lætúmque? nam priores inuehi & importari solebant: non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogant

gantius erat. Tu sola corporis proceritate elatior alijs, & excelsior, non de patientia nostra quendam triũphum, sed de superbia principum egisti. Ergo non ætas quenquam, non valetudo, non sexus retardauit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes, ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem, sanitatémque prorepere. Inde alij se satis vixisse, te viso, te recepto: alij nunc magis esse viuendũ prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis suæ maxima voluptas subijt, cum cernerent, cui principi ciues, cui imperatori milites peperissent. Videres referta tecta, ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum, & instabile vestigium caperet. Oppletas vndique vias. augustúmque tramitem relictum tibi, alacrem hinc atque inde populum, vbiq; par gaudium, parémque clamorem, tam æqualiter ab omnibus ex aduentu tuo lætitia percepta est, quàm omnibus venisti: quæ tamen ipsa cum ingressu tuo creuit, ac propè in singulos gradus adaucta est. Gratum erat cunctis, quòd Senatum osculo exciperes, vt dimissus osculo fueras, gratum, quòd equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares: gratum, quòd tantùm non vltro clientibus salutatis quasdam familiaritatis notas adderes: gratius tamẽ, quòd sensim, & placidè, & quantum respectantium turba pateretur, incederes, quòd occursantiũ populus te quoq;, te imò maxime adstaret: quòd primo statim die latus tuum crederes omnibus: neque enim stipatus satellitum manu, sed circunfusus vndique, nunc Senatus, nunc equestris ordinis flore, prout alterutrum frequentiæ genus

inualuisset. Silenteis, quietósque lictores tuos subsequebare. Nam milites nihil à plebe habitu, tranquillitate, modestia differebant.

COMMENTARIVS.

504 Ac primum.] *Graphicè ingressum Traiani Imperatoris describit. In quo obserua excelsum, generosum, imperatorium Traiani animum: aliorum uerò Imperatorum demissum, effœminatum, mollem animum. Traianus enim pedibus urbem Hectorea grauitate ingressus, cæteri Imperatores hominnum humeris tanquàm membris luxati importabantur.*
505 Quàm mirum.] *Vt in rebus insolitis magno gaudio perfu-*
506 *sis.* Non de patientia nostra.] *Quia non humeris impor-*
507 *tabaris.* Ergo non ætas.] *ὑποτύπωσις perelegans ingressus Traiani, qua rem oculis subijcit. De qua Cicero in Partit. Orator. de illustri oratione loquens: Est enim hæc pars orationis, quæ rem constituit penè ante oculos. Is enim maximè sensus attingitur. Significat autem Plinius omne genus cuiuscunque ætatis & sexus certatim irruisse, ut Traia-*
508 *num uideret.* Retardauit.] *Impediuit.*[509] Insolito.] *Inusitato, & nouo, ut Imperator triumphum reportans pedibus*
510 *urbem ingrederetur.* Impleret.] *Satiaret.*[511] Te paruuli.]
512 *ὑπόδειξις figura, qua singulis suum tribuitur uerbum.* Inde
513 alij.] *Elegans ἠθοποιία, hoc est morum descriptio.* Satis
514 vixisse.] *Quasi felices è uita migraturi.* Hunc magis esse viuendum.] *Vt diu se quasi explere & ingurgitare*
515 *hac felicitate possent.* Fœminæ.] *Cùm fœminæ uident se bonã sobolem bono principi propagare, mirificam capiunt*
516 *uoluptatem.* Videres.] *Illustris & mirum in modum per-*
517 *spicua oratio.* Laborantia tecta.] *Vix onus sustinentia.*
518 Suspensum & instabile.] *Periculosum, lubricum. Potest hoc*

hoc ad proiecta mœniana & suggrundias referri. Quibus homines insistere solent, sed non sine periculo. Gratum erat.] 519
Amplificatio per incrementum. Est etiam ἀναφορά. Osculo 520
excipere.] *Quod amicitiæ & beneuolentiæ est indicium, modò simulatio absit.* Equestris ordinis decora.] Proce- 521
res, lumina.[522] Sine monitore.] *Nomenclatore.* Signares.] 523
Appellares.[524] Tantum non.] *Ferè.* Clientibus saluta- 525
tis.] *Nominatis. Budæus in Annotat. in Pandectis scribit moris fuisse apud antiquos, ut prouinciales & socij populi Romani in clientelam sese darẽt proceribus Romanis, quos patronos sibi adoptabant, non modò publicè, sed etiam priuatim: iiq; ut clientes eorum dicerentur, inter se uerò hospites. Ferebat autem id huiusmodi necessitudo, ut clientes perpetuò suorum patronorum patrocinio, caput ac fortunas suas tuerentur: Vicissimq; ipsi patronos suos omni obseruantia ac obsequio colerent, & uenerarentur. Clientulũ alij salutares, qui patronos suos officiosè salutabant: alij deductores, qui patronos suos ad officium deducebant: alij assectatores, qui comitatum qualemcunque præstabant. Hi omnes tam sanctè & piè inter se uiuebant, ut mutuò se accusare nefas haberetur. Hunc ordinem in clientum officijs obseruatum fuisse Massurius Sabinus, ut Aulus Gellius lib. v. cap. XIII. refert, tradidit. Primum officium tutelæ, secundum hospiti, tertium clienti, quartum cognato, ultimũ affini tribuebatur.* Gratias tamen.] 526
Laus ab incessu.[527] Sensim.] *Paulatim, pedetentim.* Placi- 528
dè.] *Sine turbine, tumultu.*[529] Imo.] *In infimo.* Quod pri 530
mò.] *Amplificatio à tempore. Est autem mirum primo die statim te stipatoribus credidisse, cùm id parum tutum sit.*
531 Manu satellitum.] *Lateronum.* Flore.] *Ornamento.* 532
533 Inualuisset.] *Agminatim inuasisset.* Nam milites.] 534
ἀσύνθετον. Vbi verò.] *Laus à recordatione adoptionis* 535
quæ

quæ miram attulit ciuibus lætitiam. Non enim tantum præsentia, sed etiam præterita oblectant. Id Aristoteles 1. Rhetor. ad Theodectem his uerbis expressit: ὡς ἀνάγκη πάντα τὰ ἡδέα, ἢ ἐν τῷ αἰσθάνεσθαι εἶναι παρόντα, ἢ ἐν τῷ μεμνῆσθαι γεγενημένα, ἢ ἐν τῷ ἐλπίζειν μέλλοντα. Hoc est: *Quare necesse est omnia iucunda in eo consistere: cùm aut sentimus præsentia, aut recordamur præteritorum, aut speramus futura.*

Vbi vero cœpisti Capitolium ascendere, quàm læta omnibus adoptionis tuæ recordatio? quàm peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco salutauerint Imperatorem? quinetiam Deum ipsum tuum præcipuam voluptatem operis sui percepisse crediderim. Vt quidem ijsdem vestigijs institisti, quibus parens tuus, ingens illud deorum prolaturus arcanum: quæ circunstantium gaudia? quàm recens clamor? quàm similis illi dies, qui hunc genuit diem? vt plena altaribus? augusta victimis cuncta? vt in vnius salutem collata omniũ vota, cum sibi se, ac liberis suis intelligerẽt precari, quæ pro te precarentur. Inde tu in palatium quidem, sed eo vultu, sed ea moderatione, vt si priuatam domum peteres, cæteri ad penateis suos, quisque iteraturus gaudij fidem, vbi nulla necessitas gaudendi est. Onerasset aliũ eiusmodi introitus. Tu quotidie admirabilior, & melior. Talis denique, qualeis, alij principes futuros se tantum pollicentur. Solum ergo te commendat, augétq; temporis spatium. Iunxisti enim, ac miscuisti res diuersissimas, securitatem olim imperantis, & incipientis pudorem. Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis. Manet imperatori, quæ prior humanitas. Incedebas pedibus, incedis: lætabaris labore, lætaris: eadémq; omnia illa circa te, nihil ipso te fortuna mutauit: liberum est ingrediẽte per publicum principe, subsistere, occurrere, comitari, præterire. Ambulas inter nos, non quasi contingat, & copiam tui non vt imputes, facis. Hæret lateri tuo quisquis accessit, finémque sermoni suus cuique pudor, non tua superbia facit.

COMMENTARIVS.

Capitolium ascendere.] *Arcem Tarpeiam, ueterem Saturni sedem: ubi omnium Deorum simulachra celebrãtur, & quò triumphantes honorificè deducebantur. Est autem hoc loco commoratio.* Peculiare gaudium.] *Solidum, singulare.* Salutauerunt Imperatorem.] *Cùm ad exercitum proficiscereris.* Deum ipsum.] *Iouem.* Tum.] *Eo tempore.* Operis sui.] *Adoptionis.* Vt quidem ijsdem.] *Imperij successorem dijs arbitris eligendum esse significat.* Quæ circunstantium gaudia.] *Interrogationibus præsentium uoluptatem, maiorem facit.* Augusta.] *Consecrata, magnificentiora facta. Augustum id dicitur, quod sanctum est, & dignum quod religiosa obseruatione celatur. Cicero v. Tuscul. Ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto & augusto fonte, nostra omnis manabit oratio.* Vt in vnius salute.] *Omnes uitam, incolumitatem, prosperitatem principi optabant, & merito. Nam salus principis, salus est populi. Sic Cicero pro M. Marcello, cùm docet Cæsarem debere uitare insidias: Tua (inquit) cautio, nostra cautio est.* Inde in palatium.] *Regiam domum.* Ad penates.] *Penates gentium sunt, Lares familiarium.* Quisque iteraturus.] *Argumentum est solidi gaudij. Nam multi hilaritatem falso gaudio prætexere solent publicè, priuatim uerò uerum explicare animum odio plenum. Sunt enim in animis hominũ multæ lateb*

latebræ, multique recessus, frons, oculi, uultus, sæpe mentiun-
549 *tur, oratio sæpissime.* Gaudij fidem.] Veritatem.[550] Vbi.]
551 *Inter priuatos parietes.* Talis denique.] ἐπιφώνημα. Alij
Imperatores cùm eligebãtur, bonos se futuros pollicebantur,
Traianus autem promissis neminem onerabat, sed se bonum
552 *& prudentem Reipub. principem præstabat.* Solũ ergo.]
Vnum. Quò Traianus diutius imperat, eò & melior & gra-
tior est: alij temporis diuturnitate, Tyrannidem exercere in-
553 *cipiunt.* Iunxisti enim.] *Posse ita imperare, ut neminem*
timeas, & ut te subditi reuereantur, difficile est, & magna lau-
554 *de dignum.* Non tu ciuium amplexus.] *Traiani huma-*
555 *nitas in ciuium salutatione.* Nec osculum manu reddis.]
556 *Non præbes manum osculandam.* Incedebas pedibus.]
557 ἀπόδοσις, *hoc est, celerrima redditio.* Nihil ipso.] *In ipso.*
Id admiratione dignum est: Nam honoris accessio, animos at-
558 *tollere solet.* Subsistere,] *Amplificatio per incrementum.*
559 Ambulas.] *Ambulare, est uel animi causa, uel sanitatis.*
560 Non quasi contingat.] *Mirifico casu eueniat?*[561] Copiam
562 tui.] *Videndi.* Non vt imputes.] *Pro beneficio.* Hæ-
563 ret lateri tuo.] *Significat Traianum omnibus expositũ esse: quod humani principis indicium est. Sic Cicero in epistolis ad Q. fratrem laudat in principe facilitatem adeundi, lenitatem in discernendo, diligentiam in satisfaciendo.*

Regimur quidem à te, & subiecti tibi, sed quemadmodum legibus sumus. Nam & illæ cupiditates nostras, libidinésq; moderantur, nobiscum tamen & inter nos versantur. Emines, excellis, vt honor, vt potestas, quæ super homines quidem, hominum sunt tamẽ. Ante te principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu, vsum pedum amiserant. Illos ergo humeri, ceruicésque seruorum super ora nostra, te fama, te gloria, te ciuium pietas, te libertas super ipsos principes vehunt: te ad sidera tollit humus, ita communia & confusa principis vestigia. Nec vereor p.c. ne longior videar, cum sit maximè optandum, vt ea, pro quibus aguntur principi gratiæ, multa sint: quæ quidem reuerentius fuerit, integra illibatáque cogitationibus vestris reseruari, quam carptim breuitérque perstringi: quia ferè sequitur, vt illa quidem de quibus taceas, tanta, quanta sunt, esse videantur. Nisi vero leuiter attingi placet, locupletatas tribus, datúmque congiarium populo, & datum totum, cum donatiui partem milites accepissent. An mediocris animi est, his potius repræsentare, quibus magis negari potest? Quanquam in hac quoque diuersitate æqualitatis ratio seruata est: Æquati sunt enim populo milites, eò quòd partem, sed priores populus militibus, quòd posterior, sed totum statim accepit. Enimuero qua benignitate diuisum est: quantæ curæ tibi fuit, ne quisquis expers liberalitatis tuæ fieret? Datum est ijs, qui post edictum tuum in locum erasorum subditi fuerant, æquatíque sunt cæteris illi etiam, quibus non erat promissum. Negotijs aliquis, valetudine alius, hic mari, ille fluminibus distinebatur, expectatũ est, prouisúmque, ne quis æger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset: veniret quisque cum vellet, veniret quisque cùm posset. Magnificum Cæsar, & tuum, disiunctissimas terras munificentiæ ingenio velut admouere, immensáque spatia liberalitate contrahere, intercedere casibus, occursare fortunę, atque omni ope adniti, ne quis è plebe Romana dante congiariũ te, hominem magis sentiret se fuisse, quàm ciuem. Aduentante congiarij die, obseruare principis egressum in publi

blicum, insidere vias examina infantium, futurúsque populus solebat.

COMMENTARIVS.

564 Regimur.] *Quemadmodum leges non præscribunt, nisi id quod æquum & bonum est: ita etiam secundum legum præscriptum tibi subijcimur. Quare Traianus uerus Imperator est, non Tyrannus. Et si princeps legibus non subijcitur: tamen æquum est eum secundum leges uiuere. l. digna uox. C. de legibus. §. ultimo. quib. mod. testam. infirm. in institut. licet enim (inquit) legibus soluti sumus, attamen legibus uiuimus. Idem Iustin. §. 1. quib. non est permiss. fac. testam.* Traianum
565 *optimum Imperatorem uocat.* Nam & illæ.] *Explicatio*
566 *loci superioris.* Ante te.] *Contentio, qua Traianum cæ-*
567 *teris principibus per contrarium comparat.* Vsum po-
568 dum amiserāt.] *Pedibus nunquàm incedebant.* Te ad sy-
569 dera tollit.] ὑπερβολή. Nec verior.] *Beneuolentiam renouat, ne orationis prolixitate tædium ingerat. Et sic subinde in medio orationis cursu attentionem & beneuolentiam captamus. Id Cic. 11. de Orat. ad Q. fratrem, his uerbis docet: Nam & ego mihi beneuolum iudicem faciliùs facere possum, cùm sum in cursu orationis, quàm cùm omnia sunt inaudita. Docilem autem, non cùm polliceor me demonstratiuum, sed tum, cùm doceo & explano. Attētum uerò, crebrò totâ actione excitandis mentibus iudicum, non prima denuntiatione efficere possumus. Quem locum Cice. ex Aristotele lib. 111.*
570 *Rhetor. ad Theod. mutuatus est.* Quæ quidem.] *Sic Sallustius in Iugurtha: Nam & de Carthagine silere melius puto, quàm parum dicere. Fab. Quintil. lib. 11. cap. x 111. Quid? non in oratione operienda sunt quædam siue ostendi non debent, siue exprimi pro dignitate non possunt? Idq; exemplo Timan*

Timantis pictoris probat. Locupletatas tribus.] *Ditatas.* 571
Hunc locum planissimè copiosissimèq; in suis Miscellaneis planum fecit Petrus Nānius, in nobili Academia Louaniensi literarum politiorum professor, uir mehercule & admirandæ eloquentiæ, & in omni antiquitate eminentissimus. Con- 572
giarium populo.] *Hic apertè discrimen ostendit inter congiarium & donatiuum. Nam congiarium munus erat, quod princeps populo, donatiuum quod militi dabat. Sic Cornelius Tacitus. Additum nomine Neroni donatiuum militi, congiarium populo. Congiarium à congio uase dicitur, quod sex sestertiorum capax est. Id pueris ante undecimum annum non dabatur. Sed effusa Traiani liberalitas omnibus concessit. Congiarij meminit Quintil. lib. v 1. cap. 1 1 1. uidendus est Alexand. ab Alex. lib. v. cap. x x 1 1 1.* An mediocris ani 573
mi.] *Magnificentiæ.* Repræsentare.] *Statim dare. Repræ* 574
sentare, est præsentem sistere. Vnde est ius repræsentationis. quandoque soluo, restituo. Repræsentare diem promissi, apud Ciceronem, est id quod in diem debetur, præsenti die exoluere. Benignitate.] *Beneuolentia, studio bene merendi.* 575
576 Diuisum est.] *Donatiuum, congiarium.* Quantæ curæ.] 577
Amplificatio liberalitatis Traiani, quòd immensæ suæ liberalitatis fontes omnibus aperuit. Locum erasorum.] De- 578
letorum. Suetonius in Domitiano, refert equitem erasum à iudicum albo fuisse.
579 Subditi.] *Substituti.* Non erat pro- 580
missum.] *Ex edicto tuo.* Negotijs aliquis.] *Distribu-* 581
tio. Magnificum.] *Amplificatio liberalitatis à loci dif-* 582
ficultate.
583 Et tuum.] *Tibi peculiare, proprium.* Ingenio.] 584
Acumine, subtilitate. Intercedere.] *Interuenire. Est autē* 585
intercedere, mediū se obijcere, ne aliquid fiat. Hominem.] 586
Humanis casibus obnoxium. Immensa spatia.] *Interpre-* 587
tatio.

Labor parentibus erat oſtentare paruulos, impoſitósque ceruicibus, adulantia verba, blandásque voces edocere. Reddebant illi quæ monebantur, ac plerique irritis precibus ſurdas principis aureis adſtrepebāt, ignarique quid rogaſſent, quid non impetraſſent, donec plane ſcirent, differebantur. Tu ne rogari quidem ſuſtinuiſti. Et quanquam lætiſsimum oculis tuis eſſet conſpectu Romanæ ſobolis impleri, omneis tamē antè quàm te viderent, audiréntve: recipi incidíque iuſsiſti, vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur. Creſcerent de tuo, qui creſcerent tibi, alimentísque tuis ad ſtipendia tua peruenirent: tantúmque omnes vni tibi, quantum parentibus ſuis quiſque deberet. Rectè Cæſar, quòd ſpem Romani nominis ſumptibus tuis ſuſcipis. Nullum eſt enim magno principe, immortalitatémque merituro impēdij genus dignius, quàm quod erogatur in poſteros. Locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia, & pares pœnæ cohortantur. Pauperibus educandis vna ratio eſt, bonus princeps. Hic fiducia ſui procreatos niſi larga manu fouet, auget, amplectitur, occaſum imperij, occaſum Reipub. accelerat, fruſtráque princeps plebe neglecta, vt defectum corpore caput, nutaturúmque inſtabili pondere tuetur. Facile eſt coniectare, quod perceperis gaudium, cum te parentum, liberorum, ſenum, infantium, puerorum clamor exciperet. Hæc prima paruulorum ciuium vox aureis tua imbuit: quibus tu daturus alimenta hoc maximum præſtitiſti, ne rogarent. Super omnia eſt tamen, quòd talis es, vt ſub te liberos tollere libeat & expediat. Nemo iam parens filio niſi fragilitatis humanæ viceis horret, nec inter inſanabileis morb

morbos principis ira numeratur. Magnum quoddam eſt educandi incitamentum tollere liberos in ſpem alimentorum, in ſpem congiariorum, maius tamen in ſpē libertatis, in ſpem ſecuritatis.

COMMENTARIVS.

Labor parentibus.] *Comparatio, qua munificentiam Traiani aliorum principum liberalitati per contrarium confert.* Oſtentare paruulis.] *Oculis ingerere, blandáſque uoces edocere: ut ſalue inuictiſsime Imperator.* Reddebāt.] *Enuntiabant.* Aſtrepebant.] *Ad aures principis ſtrepebant.* Differebantur.] *Prorogabantur, reijciebantur.* (9) Túne.] *Accommodatio comparationis.* Lætiſsimum.] *Gaudio pleniſsimum.* Conſpectu Romanæ ſobolis.] *Paruulorum, qui tibi oſtentabantur. Soboles proles eſt ab adoleſcendo dicta. Cicero pro M. Marcello, propaganda ſoboles.* Incîdi.] *Inſculpi tabulis æneis. Nam hi, quorum nomina non adſcribebantur ab Imperatore, ſumptibus publicis non alebantur.* Vt iam inde.] *Alluſio pulcherrima ad nomen patris patriæ.* Parentem publicum.] *Patrem patriæ.* Munere educationis experirentur.] *Eſt enim munus patrum, educare liberos.* Creſcerent de tuo.] *De tuis & tua liberalitate.* Stipendia tua.] *Munera militaria.* Tantúmq; omnes vni.] *Antitheſis ex numero.* Romani nominis.] *Gentis Romanæ. Nomina, genus, gens, pro eodē ſumūtur. Gēs enim nomē per cōtractionē ab hoc nomine, genus factum eſt.* Nullum eſt enim.] *ἐπιφώνημα elegans: quo docet poſteritati ſeruiendum eſſe. Curare enim, ut poſteritas beneficio noſtro ad uirtutem nitatur, dignum eſt principe impendium. Sic Cicero pro M. Marcello grauiter inhortatur Iulium Cæſarem, ut poſteritati conſulat, & Rempubl. belli*

ciuilis impetu collapsam, perculsam, prostratam, constituat cõponátq;. Inquit enim, Nec uerò hæc tua uita dicẽda est, quæ corpore & spiritu continetur: illa inquam, illa uita est tua Cæsar, quæ uigebit memoria seculorum omnium: quam posteritas alet: quã ipsa æternitas semper intuebitur. Huic tui inseruias, huic te ostentes oportet: quæ quidem quæ miretur, iam pridem multa habet. Nunc etiam quæ laudet expectat.

664 Locupletes ad tollendos.] *Educandos. Quandoque enim tollere, occidere est. Vt,*

Sustulit hic patrem, sustulit ille matrem.

605 Ingentia prænia, quæ Traiani liberalitas pollicetur. Pares pœnæ cohortantur.] *Quæ agentibus uitam cælibem infliguntur. Q. Metellus legem de maritandis ordinibus (authore Liuio) induxit. Qua Augustus seueriùs, quàm cæteri emẽdauit, ut author est Suetonius Tranquillus in Augusto, cap. XXXIIII. Liberorum enim procreandorum tanta fuit Romæ cura, ut Censores prohiberent, ne ciues uiuerent cælibes. Apud Athenienses non minor huius rei cura fuit. Nam qui trigesimumquintum annum excesserat, & uxorem non duxerat, & pœna pecuniaria in singulos annos mulctabatur, & omni honore priuabatur. Author Plato lib. de legib. VI. Et Pomponius Iurisconsultus in l. I. ff. soluto matrimo. docet, necessarium esse fœminas esse dotatas, ad sobolem procreandam & replendam liberis ciuitatem.* Pauperibus educandis.] *Locus hic potentes maximè incitare debet ad liberalitatem exercendam.* Hic fiducia sui procreatos.] *Laus ab educatione necessaria. Hæc enim est seminarium, fundamentúmq; Reipub. quo nutante, cætera Reipubl. membra collabi necesse est. Quemadmodum enim bene & sapienter à diuino Platone lib. de legib. I. dictum est: Κεφάλαιον τῆς παιδείας, εἶναι τὴν ὀρθὴν τροφήν: hoc est, caput eruditionis, esse rectam educationem: ita etiam Reipub. firmamentum est creatos fouere, augere.* Larga manu.] *Benigna, munifica.* Fouet, auget, amplectitur.] *Articulus.* Occasum.] *Interitum.*

611 Accelerat.] *Imperator.* Fruítráque princeps.] *Insignis locus hic est: Nec princeps sine plebe, nec plebs sine principe statum suum tueri potest. Menenius Agrippa conciliauit patres plebi. Nota fabula de bello, quod membra uentri indixerant. Author Liuius lib. II. Meminit Quintil. lib. V. cap. XII. de exemplis. Et eodem penè loco usus est Cicer. lib. III. Officior. capite, Detrahere igitur.* Vt defectum corpore caput.] *Destitutum. Lapsabundum, casurum,* Vacillaturum pondere instabili.] *Stare non ualenti.* Facile est coniectare.] *Traianus magnum percepit gaudium ex honore, quem omnis ei multitudo habuit.* Parentum.] ἀστώτερον. Imbuit.] *Impleuit.* Alimenta.] *Plusquàm nutrimenta, cibaria perpetua. Vnde lib. XXXIIII. Pandectarum de aliment. & cibar. lega. titulus extat.* Fragilitatis humanæ vices.] *Incertos ualetudinis & mortis euentus.* Principis ira.] *Alij principes ira accensi, pueros sæpe è medio tollebant. Irasci enim illis à quibus pœnas te sumpturum speras, ualde est suaue. Vnde Homerus scribit iram melle esse dulciorem: διὸ καὶ τὸ ὀργίζεσθαι ἡδὺ, ὥσπερ ὅμβρος ἐποίησε περὶ τοῦ θυμοῦ, ὅτε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλαμβομένοιο.* Magnum quoddam.] *Libertas & uiuendi securitas parentibus stimulos addit ad educandum liberos.* Tollere liberos.] *Recèns nati per lapsum, terram contingebant, tanquam communem parentum. Deinde humi tollebantur & seruabantur.*

Atque adeò nihil largiatur princeps, dum nihil auferat: non alat, dum non occidat: nec deerunt, qui filios concupiscant. Contrà largiatur, & auferat, alat, & occi-

dat,næ ille in tam breui tempore effecerit,vt omneis nõ posterorum modò,sed sui,parẽtúmq; pœniteat. Quocirca nihil magis in tua tota liberalitate laudauerim, quàm quòd congiarium das de tuo, alimenta de tuo. Neq; à te liberi ciuiũ,vt te ferarum catuli,sanguine,& cædibus nutriuntur:quódque gratissimum est accipientibus,sciunt dari sibi,quod nemini est ereptum, locupletatísque tam multis,pauperiorem esse factum principem tantum:quanquàm nec hunc quidem: nã cuius est,quicquid est omnium,tantum ipse, quantum omnes habet. Aliò me vocat numerosa gloria tua: aliò autem quasi vero iam satis veneratus miratúsque sim, quòd tantam pecuniam profudisti, non vt flagitij tibi conscius ab insectatione eius auerteres famam: nec vt tristeis hominnm mœstósque sermones lætiore materia detineres,nullam congiario culpam,nullam alimẽtis crudelitatẽ redemisti:nec tibi benefaciendi fuit causa,vt quæ malè feceras,impune fecisses: amor impendio isto,non venia quæsita est:populúsque Romanus obligatus à tribunali tuo,non exoratus recessit. Obtulisti enim congiarium gaudentibus gaudens, securúsq; securis:quódque antea principes ad odium sui leniendum tumentibus plebis animis obiectabant, id tu tam innocens populo dedisti,quàm populus accepit. Paulo minus Patres C.quinque millia ingenuorum fuerunt quæ liberalitas Principis nostri conquisiuit,inuenit,adsciuit:hi subsidium bellorum,ornamentum pacis, publicis sumptibus aluntur:patriámque, non vt patriam tantum,verum vt altricem amare condiscunt. Ex his castra,ex his tribus replebuntur,ex his quandoque nascentur,quibus alimentis opus non sit.

COM

COMMENTARIVS.

Itaque adeò.] *Amplificatio per incrementum & contentionem.* Contrà largiatur & auferat.] *Peruersum Domitiani ingenium Plinius hîc perstringit. Is enim suos subditos solebat uuidos facere, deinde tanquàm spongiam exprimere.*[628] Das de tuo.] ἐπαναφορά. Neque à te.] *Alij principes bonis damnatorum alios locupletare solebant: quemadmodum feræ alienis cadaueribus catulos suos nutriunt: At Traianus de suo dat,de suo alit. Hanc sententiam Dion confirmat: Traianus à pecunijs alienis,& iniustis cædibus abstinet.* Pauperem esse factum.] *In liberalitate illa cautio est maxima,ne ita claudamus rem familiarem,ut eam benignitas aperire non possit: nec ita resecanda, ut pateat omnibus:* 618 Tantum.] *Tam potentem.* Quanquam nec hunc.] *Correctio est,qua ostendit principis facultates omnium esse communes.* Aliò me vocat.] *Reuocatio sui, simulat enim transitionem: & tamen in eodem moratur argumento. Videtur tacitè respondere obiectioni: Traianus non profudit tantam pecuniam,ut ea quæ malè fecerat,impunè fecisse diceretur(nihil enim tale objici ei poterat)& ut gratiam hominum colligeret: sed ut singularem sui in ciues & omne hominum genus,amoris significationem daret. Cornelius Tacitus testatur Neronem post Agrippinæ matris mortem,& Britãnicum extinctum,larga & ampla munera populo dedisse, ut homicidium à parricidio auerteret.* Numerosa gloria.] *Multiplex.* 631 Insectatione.] *Obtrectatione.* Lætiore materia detineres.] *Argumento hilariore occupares. Huic loco non malè perurbanum Alcibiadis apopthegma conuenit. Is canis sui pulcherrimi caudam præcidit,eúmq; populo spectandum exhibuit. Rogantibus cur id fecisset, respondit, ut populo aliam loquendi materiam,quàm de me suppeditarem. Norat*

ingenium populi, de claris uiris libenter loquitur malè, illi
634 *morbo suppeditauit materiam.* Amor.] *Gratiam tui.*[633] Ob-
636 sululisti.] *Congiarium.* Gaudentibus gaudens.] *Traductio, ut πολύπτωτον, hoc est casuum eiusdem nominis multitu-*
637 *do.* Tumentibus.] *Indignationibus, Iratis.*[638] Obiectabant.] *Obijciebant.* Vergil. lib. Aeneid. v I. *de Cerbero:*

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, aduerso recubans immanis in antro:
Cui uates horrere uidens iam colla colubris,
Melle soporatam & medicatam frugibus offam
Obijcit: Ille fama rabida tria guttura pandens,
Corripit obiectam, atque immania terga resoluit.

639 Quinque milia ingenuorum.] *Ingenuus propriè dicitur, qui nec ipse, nec eius parentes seruiuerunt.* Vide *titulum lib.*
640 *Institut.* I. *de Ingenuis.* & Ciceronem *in topicis.* Acquisi-
641 uit.] δημοσιοτέλεστον. Hic subsidium bellorum.] *Sic Cicero pro lege Manilia uectigalia, subsidia belli, & pacis orna-*
642 *menta uocat.* Condiscat.] *Assuescat.*

Dent tibi Cæsar ætatem Dij, quam mereris, seruétque animum, quem dederunt: & quanto maiorem infantium turbam, iterum atque iterum videbis incidi (augetur enim quotidie & crescit, non quia chariores parentibus liberi, sed quia principi ciues) dabis cõgiaria, si voles, præstabis alimenta, si voles, illi tamen propter te nascuntur. Instar ego perpetui congiarij reor affluentiam annonæ. Huius aliquando cura Pompeio non minus addidit gloriæ, quàm pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, Oriens triumphis, Occidénsque lustratus. Nec verò ille ciuilius, quàm parens noster, autoritate, consilio, fide reclusit vias, portus patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddidit, diuersas

uersásque genteis ita commercio miscuit, vt quod genitum esset vsquam, id apud omnes natum esse videretur. Nónne cernere datur, vt sine vllius iniuria omnis vsibus nostris annus exuberet? quippe non vt ex hostico raptæ, perituræque in horreis messes nequicquam queritantibus socijs auferuntur: deuehunt ipsi, quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit, nec nouis indictionibus presi, ad vetera tributa deficiũt. Emit fiscus, quicquid videtur emere, inde copiæ, inde annona, de qua inter licentem, vendentémque conueniat: inde hic satietas, nec fames vsquam.

COMMENTARIVS.

643 Dent tibi Cæsar.] *Obsecratio.* Aetatem.] *Aetas ex* 644
legum præscripto centum est annorum. Quilibet enim cẽtum annos uiuere præsumitur. l. ultima. C. de sacrosanc. eccles. ubi ait Iustinianus: Supradictis omnibus unum tantummodo terminum humanæ uitæ imponimus, id est, centum annorum. Caius in l. Iurisconsultus. in l. si ususfructus. de usu & usufr. Vnde centum annos obseruandos esse constat, qui finis uitæ longissimus est. In eadem sententia est Plato lib. de Republ. x. Videndus est Plin. lib. v II. cap. x L v III. Seruéntq; ani- 645
mum.] *Fortem, iustum, studiosum posteritatis, liberalem &*
immortalitatis amore flagrantem. Incîdi.] *Insculpi æneis* 646.
tabulis. Non quia chariores.] *Traianum parentem, ciues* 647.
liberos facit. Instar ergo.] *Transitio ad laudem Traiani,* 648
quam promeruit ex annonæ procuratione. In qua re eũ Pompeio comparat.[649] Instar.] *Ad similitudinem.* Affluen- 650
tiam annonæ.] *Abundantiam eorum quæ ad nostram alimoniam conducunt. Annona quandoque est ratio emendi & uendẽdi. Huic præfecti quidam erant, siue frumentum esset diuiden*

uidendum populo, siue distrahendum. Et quia ex fame atrocia mala sæpe oriuntur, apud Romanos constitutus fuit magistratus, qui huic curationi præerat, dicebatúrque præfectus Annonæ: de cuius origine Liuius in quarto. ab Annona annonaria prouisio, & annonariæ leges dictæ. Pompeio.] Qui, cùm magna Romæ esset annonæ caritas, Annonæ præfectus fuit, & urbem frumento, cæterisque ad uictum necessarijs, repleuit. Legendus Plutarchus, in uita Pompei, & Cicero in oratione pro lege Manilia. Pulsus ambitus.] Eo scilicet tempore, quo Pompeius solus contra morem antiquum consul erat. Tunc in campo Martio, in quo Magistratus à candidatis petebantur, ambitionem fregit. Exactus hostis.] Expulsus pirata spatio quadraginta dierum. Vnde Pompeius à Scylla, Magnus cognominatus est. Cuius rei meminit Cice. in oratione pro lege Manilia. Oriens triumphis.] Huius rei Cicero habet honorificam mentionem in oratione pro Cornelio Balbo, Et in oratione contra Catilinam. Nec verò ille.] Pompeius. Est redditio similitudinis. Parens noster.] Parens patriæ Traianus. Reclusit.] Aperuit.[659] Portúsque patefecit.] Obsessos à piratis. Littoribus mare.] Ἀντιμεταβολή. Commercio miscuit.] Mutuò & uicissitudinario mercatu. Apud omnes.] Esse commune. Nónne.] Amplificatio huius loci, ab anni abundantia, sine ullius iniuria acquisita. Hostico.] Ago hostili.[664] Queritantibus.] Frustra conquerentibus. Sydus aluit.] Aestas.[666] Nouis indictionibus.] Nouorum uectigaliũ exactione. Pressi.] Vexati. Tria apud antiquos pensitationum genera erant. Canon, certum & ordinarium tributum, oblatio quæ ultrò offerebatur: indictio, cùm tributum statuitur, quod antè non est exactum. Author Asconius Pædianus in quartam Verrinam Ciceronis. Indictio exigebatur olim singulis tribus lustris.

Hinc

Hinc apud quosdam tenuit consuetudo numerandorum annorum ab Indictionibus, hoc est, à decimoquinto anno. Verùm ne aliquis errore labatur, non est perpetuum, indictionem solùm tribus lustris exigi consueuisse, sed subinde & in singulos annos pro principis arbitrio. Inde fit, ut prima Imperij indictio, primum annum, secunda secundum, & sic deinceps significet. Cuius rei mentio est apud Eguinarium Baronem nobilißimum Iurisconsultum, in frontispicio suorum Commentariorum in primam Pandectarum partem. De indictionibus titulus est lib. x. Codicis, & eius rei Budæus in Annotationibus in Pandectas meminit. Emit fiscus.] Principis pecuniam laudat, ex qua omnium rerum satietas suppeditatur.

Aegyptus alendis, augendísque seminibus ita gloriata est, vt nihil imbribus cœlóque deberet; si quidem proprio semper amne perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere, quàm quas ipse deuexerat, tantis segetibus induebatur, vt cum feracissimis terris, quasi nũquam cessura certaret. Hæc inopia siccitate vsque ad iniuriam sterilitatis exaruit, quia piger Nilus cunctanter alueo sese, ac languidè extulerat, ingentibus quoque tunc quidem ille fluminibus tamen conferendus: hinc pars magna terrarum mergi palanti amne consueta, alto puluere incanduit. frustra tunc Aegyptus nubila optauit, cœlúmque respexit, cum ipse fœcunditatis parens contractior, & exilior ijsdem vbertatem eius anni angustijs, quibus abundantiam suam cohibuisset. Neque enim solum vagus ille expanditor amnis intra vsurpata semper collium substiterat, atque hę ferat: sed supino etiam, ac detinẽti solo placido se, mollíque lapsu refugium abstulerat, necdum satis humenteis terras addiderat arentibus.

COM

COMMENTARIVS.

Aegyptus alendis.] παρέκβασις *elegans, in qua Plinius totum hunc locum de liberalitate altiùs repetit, & Traiani liberalitatem Nili fertilitati comparat. Roma olim tribus alebatur, Africa, Sicilia, Aegypto. Sicilia enim horreum Romanorum dicebatur, ut Cicero in quarta actione in Verrem indicat. De Aegypto, Iustinus lib. II. hunc in modum scribit: Aegyptum ita temperatam semper fuisse, ut neque hyberna frigora, nec æstiui solis ardores incolas eius premerent: Sölum ita fœcundum, ut alimentorum nulla terra feracior sit in usu hominum. Iure igitur ibi primùm homines natos uideri debere, ubi educari facillimè possunt. De Aegypto uide Herodotum in Euterpe, Plin. lib. V. cap. IX. Strabonem lib. VII.* Aegyptus.] *In qua nunquam pluit.* Proprio amne.] *Nilo.* Perfusa.] *Inundata.*[672] Quas ipse.] *Amnis Nilus.* Induebatur.] *Abundabat Aegyptus.*[674] Nunquàm cessura.] *Nunquàm uincenda.* Inopina siccitate.] *Aegyptus inexpectata siccitate.* Vsque ad iniuriam sterilitatis.] *Vsque adeò, ut sterilitas magnum adferret damnum Aegyptijs.* Quia per Nilus.] *Extenuat Nili fœcunditatem, ut Traiani laudem ampliorem faciat.* Extulerat.] *Inundauerat.* Ingentibus conferendus fluminibus.] *Est enim ex maioribus totius orbis fluuijs. Nili ortus ex omnium ferè geographorum sententia tam est incertus, ut eum quidam à Ioue esse asserant. Cui rei testis est Homerus quarto odysseæ.*

Οὐ γὰρ τοι πρὶν μοῖρα φίλους τ' ἰδέην καὶ ἱκέσθαι
Οἶκον ἐυκτίμενον, καὶ σὴν ἐς πατρίδαν γαίαν,
Πρὶν γ' ὅτ' ἂν Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο
Αὖτις ὕδωρ ἐλθῇς ῥέξῃς θ' ἱερὰς ἑκατόμβας,
Ἀθανάτοισι θεοῖσι τοι οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
Καὶ τότε τοι δώσιν ὅδον θεοὶ, ὅν συ μενοινᾷς.

Id est,

Nam

Nam non antè datur ciues uidisse relictos,
Atque domos celsas, patriámque attingere terram,
Prædulcésque lares, quàm retro flumina Nili
A' Ioue manantis intres, undásque requiras.
Nobilis Aegypti, & taurorum sanguine centum
Coelicolis soluas tellure litamina sacra.

Mergi.] *Inundari.* Palanti.] *Extrauagante. Palare, authore festo, errare est.* Alto puluere.] *Alta arena.* Incanduit.] *Exaruit ob Nili defectum. Nilus enim dictus est (authore Seruio) quasi νέον ἰλὺν, hoc est, nouum adferens lutum, quo Aegyptum oblinat.* Nubila optauit.] *Nubes quia in Aegypto pluere non solet.* Cœlúmque respexit.] *Imbrem requisiuit.* Intra vsurpata.] *margines riparum.* Hæserat.] *Depressus erat.*

Igitur inundatione, id est, vbertate regio fraudata, sic opem Cæsaris inuocauit, vt solet amnem suum: nec longius illi aduersorum fuit spatium, quàm dum nuntiat. Tam velox Cæsar potentia tua est, támque in omnia pariter intenta bonitas, & accincta, vt tristius aliquod seculo tuo passis ad remedium, salutémque sufficiat, vt scias. Omnibus equidem gentibus fertileis annos, gratásque terras precor. Crediderim tamen per hunc Aegypti statum, tuas fortunam vireis experiri, tuámque vigilantiam ostentare voluisse. Nam cum omnia vbiq; secunda merearis, nónne manifestum est, si quid aduersi cadat, tuis laudibus, tuísque virtutibus materiem, campúmque prosterni? cum secũda feliceis, aduersa magnos probent. Percrebruerat antiquitus vrbem nostram nisi opibus Aegypti ali, sustentaríque non posse: superbiebat ventosa, & insolens natio, quòd victorem quidem populum, pasceret tamen: quódque

in

in ſuo flumine,in ſuis manibus vel abundantia noſtra, vel fames eſſet. Refudimus Nilo ſuas copias,recepit frumenta quæ miſerat,deportatásque meſſeis reuexit: Diſcat igitur Aegyptus,credátque experimento, non alimenta ſe nobis,ſed tributa præſtare: ſciat ſe non eſſe populo Romano neceſſariam,& tamen ſeruiat. Poſt hęc ſi volet Nilus,amet alueum ſuum, & fluminis modũ ſeruet,nihil hoc ad vrbem,ac ne ad Aegyptum quidẽ, niſi vt inde nauigia inania,& vacua,& ſimilia redeuntibus,hinc plena & onuſta,& qualia ſolent venire mittantur: conuerſóque munere mari,hinc potius venti ferentes,& breuis curſus optentur.

COMMENTARIVS.

Igitur inundatione.] *Accommodatio,qua Cæſaris benignitatem extollit in Aegyptiorum annonæ penuria ſubleuanda.* Vt ſolet amnem ſuum.] *Quem Aegyptium Iouem Aegyptij uocant.* Nec longius ſpacium.] *Non longior mora fuit Aegypto in fame toleranda, quàm dum nuntiat Cæſari.* Tam velox Cæſar.] *Tam effuſa eſt Traiani bonitas,ut ſimulatque aliquos oppreſſos intelligit, eis opitulatur.* Omnibus equidem.] *Obſecratio.* Gratáſq; terras.] *Laborem agriculturæ penſantes.* Nam cum.] *Ratio loci ſuperioris.* Poſterni.] *Explicari.* Secunda felices.] *Præclara ſententia. Amicos ſecundæ res parant, aduerſæ probant. Id quod Tarquinius ſuperbus, crebrò dicere ſolebat.* Aduerſa magnos præbent.] *Experiuntur.* Cicero *ad Pætum lib. epiſtolarum.* IX. *Non facilè diiudicatur amor uerus & fictus, niſi aliquod incidat huiuſmodi tempus, ut quaſi aurum igne,ſic beneuolentia fides periculo aliquo perſpici poßit.* Ouidius:

Scilicet ut ſuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro inſpicienda fides.

Quam ſententiam Iſocrates etiam ad Demonicum expreßit. In utraque itaque fortuna mediocritatem retinuiſſe, & planè ſe hominem quadratum (ut Plato monet) præſtitiſſe, eximia laus eſt. Percrebuerat.] *Redit ad locum ſuperiorem, & primò res attollit,ut eas deinde deprimat.* Ventoſa & inſolens natio.] *Aegyptios ſuperbos & inſolentes eſſe,ſcriptores rerum teſtantur.* Refudimus.] ἐπιμονή. *Commoratio.* Poſt hæc.] σαρκασμὸς, *hoc eſt, hoſtilis inſultatio.* Amet alueum ſuum.] *Alueo ſuo contentus ſit.* Conuerſóque.] *Conuerſa ratione nauigandi.* Venti ferentes.] *Secundi.* Vergilius *lib.* Aeneid. III I.

Expectet facilémq; fugam,uentóſque ferentes.

Et *libro* X.

Quid tempeſtatum regem uentóſque ferentes.

Mirum Cæſar videretur,ſi deſidem Aegyptum,ceſſantémque Nilum nõ ſenſiſſet vrbis annona,quæ tuis opibus,tua cura vſque illuc redundauit,vt ſimul probaretur & nos Aegypto poſſe,& nobis Aegyptum carere non poſſe. Actum erat de fœcundiſsima gente, ſi libera fuiſſet: pudebat ſterilitatis inſolitæ: nec minus erubeſcebat fame,qua torquebatur,cum pariter à te neceſsitatibus eius,pudorí que ſubuentum eſt. Stupebant agricolæ plena horrea,quæ non ipſi referſiſſent, quibus de campis illa ſubuecta meſsis, quáve in Aegypti parte alius annis: ita beneficio tuo nec maligna tellus, & obſequens Nilus Aegypto quidem ſępe,ſed glorię noſtrę nunquam largior fluxit. Quàm tunc iuuat prouincias omneis in fidem noſtrã ditionémq; veniſſe, poſtquàm contigit princeps qui terrarum fœcunditatem

num

nunc huc, nunc illuc, vt tempus & necessitas posceret, transferret, referrétque, qui diremptam mari gentem, vt partem aliquam populi, plebísque Romanæ aleret ac tueretur. Et cœlo quidem nunquam benignitas tanta, vt omneis simul terras vberet, foueátque. Hic omnibus pariter si non sterilitatem, at mala sterilitatis exturbat: Hic si non fœcunditatem, at bona fœcunditatis importat: hic æternis commeatibus Orientem, Occidentémque connectit: vt quæ vbique feruntur, quæque expetuntur, omnes gentes, inuicem capiant, & discant, quãtò libertate discordi seruientibus sit vtilius vnum esse, cui seruiant. Quippe discretis quidem bonis omnium, sua cuiusque ad singulos mala: sociatis autem, atque permistis, singulorum mala ad neminem, ad omnes omnia bona pertinent.

COMMENTARIVS.

666 Mirum Cæsar.] *Huius loci subobscuri hũc planum sensum esse puto. Mirum esset, Aegyptum indigere romanis, si Aegyptus sterilis & frugibus exuta nõ recepisset à Romanis*
669 *annonã. Quia aliunde sustẽtare se potuisset.*] *At recepit annonã ab urbe Romana. Nam hæc eò usque redundauit, ut probaretur Aegyptũ indigere Romanis, & Romanos nõ indigere ægypto. est autẽ syllogißimus à remotione cõsequẽtis, ad remotionem antecedentis: perinde ac si sic colligas: Mirum esset, Iulium Cæsarem Germanis potentiorem fuisse, & eos*
690 *tamen non uicisse, at uicit, ergo erat potentior.* Actũ erat.]
691 *Gens fœcundißima præerat.* Si libera fuisset.] *Si Romæ non seruiuisset: paradoxum hoc est: nam res in libertate auge-*
692 *ri, in seruitute minui uidentur.* Stupebant agricolæ.] *Mirifice mores personarum exprimit. stupere est sensus rerum admir*

consopitos esse, attonitum esse. Est etiam cum stupore quodam admirari, ut hic. Refersissent.] *Impleuissent. Sic Cice. 1. Tuscul. Eadem enim dicuntur à multis, ex quo liberis omnia referserũt.* Sed glorię nostrę.] *Nilus cõtractior factus nobis. Romanis gloriandi argumentum dedit. ab Aegypto enim annonam recipere consueueramus, nunc ei eandem suppeditauimus. Nunquàm ergo maiorem gloriam ex Nilo sumus consecuti.* Quam tunc iuuat.] *Ostendit eas prouincias fortunatas esse, quæ tempore Traiani in fidem ditionémq; Romanorum uenerant.* In fidem nostram.] *Sic Cicero 1. Officior. in fidem recipere dixit.* Princeps.] *Primus principatus nomen excellentiæ, non dominij est.* Et cœlo.] *Tacita quadam comparatione confert Traianum cœlo. Multæ enim comparationes meliùs intelliguntur, quàm exprimuntur.*
699 Benignitas.] *Natura propitia, beneuolentia.* Hic omnibus.] ἐπαναφορά.[701] Exturbat.] *Exterminat.* Aeternis commeatibus.] *Commercijs. Commeatus, propriè est facultas ad tempus suos uisendi, quæ datur militibus ab Imperatore. Est etiam transitus & quandoque annona,* Τροφή. Orientem.] *Terras disiunctißimas.* ὑπερβολή. Discordi libertate.] *Seditiosa: præstat populum uni principi seruire, quàm liberum uiuere, & seditionibus agitari.* Quippe discretis.] *Ratio loci superioris ab utili. In libertate, diuisis bonis, mala ad singulos pertinent. At sub bono principe, ut omnia communia sunt, ita malorum etiam participes sunt omnes.*

Sed siue terris diuinitas quædam, siue aliquis amnibus genius, & sõlum illud, & flumen ipsum precor, vt hac principis benignitate contentum molli gremio femina recondat, multiplicata restituat. Non equidem reposcimus fœnus: putet tamen esse soluendum, fallacem quæ vnius anni fidem omnibus annis, omnibúsq;

postea seculis tanto magis, quia nõ exigimus, excuset. Satis factum, quà ciuium, quà sociorum vtilitatibus. Visum est spectaculum inde non enerue, nec fluxum, nec quod animos virorum molliret, & frangeret, sed quod ad pulchra vulnera, contemptúmque mortis accenderet: cum in seruorum etiam, noxiorúmque corporibus amor laudis, & cupido victoriæ cerneretur. Quã deinde in edendo liberalitatem, quam iustitiam exhibuit, omni affectione aut intactus, aut maior: Impetratum est, quod postulabatur. Institit vltro, & vt concupisceremus, admonuit. Ac si quoque plura inopinata plura subita. Iam quàm libera spectantiũ studia, quàm securus fauor? Nemini impietas, vt solebat, obiecta, quod odisset gladiatorem. Nemo spectator spectaculũ factus miseras voluptates vnco, et ignibus expiauit. Demens ille, verique honoris ignarus, qui crimina maiestatis in arena colligebat, ac se despici, & contemni, nisi etiam gladiatores eius veneraremur, sibi maledici, in illis suam diuinitatem, suum numen violari interpretabatur, cum se idem quod deos, idem gladiatores, quod se putabat.

COMMENTARIVS.

Sed siue terris.] *Hæc à Plinio ad Nemesim deprecandam dicuntur. Videbatur enim Plinius nimiùm extollere Traianum, cœlo illum præferens.* Diuinitas quædam.] *Antiquitas omnibus rebus numen quoddam inesse putabat, ut & hominibus duos Genios. Diuinitatem quandam omnibus rebus infusam esse, argumento est, quòd Plato in sympo sio tradit duodecim esse sphæras, octo cœlestes & qnatuor elementorum, unicuiq; autem sphæræ animam unam præesse. Quem locum*

locum Vergilius VI. *Aeneidos imitatus, mundum magnum animal esse fingit. Videndus est Plato lib.* V. *&* VI. *de legib. & in Critia.* Genius.] *Deus tutelaris est, in cuius tutela acquiescimus. De quo multa Censorinus.* Molli gremio.] *Sensim in suum alueum se recipiat, nec lutum inuectum, semen suum secum rapiat.* Satisfactum.] *Transitio ad alia.* Visum est spectaculũ.] *Laus Traiani ab humanitate, quæ in spectaculis usus est.* Spectaculũ.] *Gladiatorũ conflictus. Solebãt enim Imperatores prius quàm in bellũ irẽt, nudos aliquot gladiatores in militum conspectum producere, qui se mutuis conficiebant uulneribus, ut miles disceret uulnera, sanguinem, cædes non perhorrescere, hinc orta est Gladiatorum origo.* Non enerue.] *Non effœminatum, non dissolutum.* Pulchra vulnera.] *Honesta.* Noxiorum.] *Damnatorum. Noxa est ipsum corpus, quod nocuit, id est, seruus: Noxia ipsum maleficium, ueluti furtum, damnum, rapina, iniuria. Vt docet Iustinianus initio tituli de noxal. action. Huic tamen differentiæ inter noxam & noxiam Laurentius Vallensis lib.* IIII. *cap.* XXXV. *obstrepere nonnihil uidetur. Porrò Laurentij ratio leuis est, & facilè confutari potest. Inquit enim, si noxa corpus est, quomodo corpus noxæ deditur? Nõ animaduertens noxam subinde pro noxia sumi. l.* j. *de noxal. & apud Virgili.*

-Vnius ob noxam.

Cùm ergo dicit Iurisconsultus corpus deditur noxæ, hoc est, noxiæ, & arbitrio eius puniendum, cui damnum intulit. Amor laudis.] *Vt laudem & gloriam ex uictoria reportarent.* Edendo.] *Cum exhiberet gladiatores.* Omni affectione.] *Quem nullus animi turbulentus motus à recto deijcere potuit.* Libera studia.] *Liberæ uoluntates.* Nemini impietas,] *Cæsariæ maiestatis læsæ. Caius, Domitius, Caligula, spectatores, qui uel minimùm in suis gladiatoribus*

reprehendebant, mox tanquàm læsæ maiestatis reos, feris dilaniandos obiectabant. A' Traiano uerò nihil huiusmodi fa-
721 *ctum.* Spectaculũ factus.] De *nullo sumptum est suppli-*
722 *cium.* Vnco.] *Hamo carnificis. Vncus, baculus oblõgus, ab altera parte ferrum habens incuruum, ac in se retortum, quo damnati ad supplicium & scalas Gemonias trahebantur.*
723 *Cicero 1. Philippica: uncus impactus est illi fugitiuo.* Ex-
724 piauit.] *Luit*, Demens ille.] De *Domitiano loquitur.*
725 Crimina maiestatis.] *Quicunque hostili animo aduersus. Rempub. uel principem animatus est, læsæ maiestatis reus est Vlpianus. l. ultima, ad legem Iuliam maiestatis.* Idem Gla-
726 diatores.] *Scilicet eos esse Deos.*

At tu Cæsar quàm pulchrum spectaculum pro illo nobis execrabili reddidisti? Vidimus delatorum iudicium, quasi grassatorum, quasi latronum: non solitudinem illi nouiter, sed templum, sed forum inserãt. Nulla iam testamenta secura, nullus status certus: non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum principum auaritia. Aduertisti oculos, atque vt antè castris, ita posteà pacem foro reddidisti, excidisti intestinum malum: & prouida seueritate cauisti, ne fundata legibus ciuitas, euersa legibus videretur. Licet ergo cum fortuna, tum liberalitas tua visenda nobis præbuerit, vt præbuit nunc ingentia robora virorum, & pares animos: nunc immanitatem ferarum, nunc mansuetudinem incognitam: nunc secretas illas, & arcanas, ac sub te primùm communeis opes: nihil tamen gratius, nihil seculo dignius, quàm quod contigit, desuper intueri delatorum supina ora, retortásq; ceruices agnoscebamus & fruebamur, cum velut piaculares publicæ solicitudinis victimæ supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia, grauiorésque pœnas ducerentur. Congesti sunt in nauigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti abirent, fugeréntque vastatas delationibus terras. Ac si quem fluctus, ac procellæ scopulis reseruassent, hic nuda saxa, & inhospitale littus incoleret, ageret duram & anxiam vitam, relictáque post tergum totius generis humani securitate mœreret. Memoranda facies. Delatorum classis permissa omnibus ventis, coactáque vela tempestatibus pandere, iratósq; fluctus sequi, quoscunque in scopulos detulissent. Iuuabat prospectare statim à partu sparsa nauigia, & apud illum ipsum mare agere principi gratias, qui clementia sua salua vltionem hominum, terrarúmque dijs maris commendasset. Quantum diuersitas temporum posset, tum maximè cognitum est, cùm ijsdem, quibus antea cautibus innocẽtissimus quisque tunc nocentissimus adfigeretur: cúmq; insulas omneis, quas modo senatorum, iam delatorum turba compleret: quos quidem non in præsens tantùm, sed in æternum repressisti mille pœnarum indagine inclusos.

COMMENTARIVS.

727 At tu Cæsar.] *Elegans antithesis.* Vidimus.] *Tra-* 728
ianos delatores in exiliũ tãquàm grassatores egit. Martialis:
Et habet delator quod dabat exilium.
729 Insederant.] *Delatores occupauerant.* Nulla iam testa- 730
menta.] *Iuris authores, suprema hominum iudicia religiosissimè custodienda esse uoluerunt. Id Constantinus Imperator docet in l. j. de sacros. eccles. Nihil est, quod magis hominibus debeatur, quàm ut supremæ uoluntatis, postquàm iam amplius uelle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod amplius*

plius non redit arbitrium. Domitianus autem testamenta hominum infringebat, & non solùm uiuos, sed etiam mortuos suis bonis exuebat. Id Plinius noster his uerbis indicat: Nulla iam testamenta secura &c. Secura.] *Rata. Tunc enim & securum est testamentum, cùm mens, uoluntas, iudicium testantis seruatur. Est enim testamentum uoluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri uoluit. l. j. de testam.* Principum auaritia.] *Caligulæ, Domitiani, Caij, Neronis.* Aduertisti oculos.] *His Reipub. uulneribus Traianus medicatus es.* Licet ergo.] *Spectaculum delatorum omnibus alijs à Traiano exhibitis præfert.* Cum fortuna.] *Cum, & Tum, hoc loco orationem intendunt.* Visenda.] *Spectacula digna usu.* Seculo.] *Aetate tua.* Desuper.] *Ex loco superiore.* Supina ora.] *Reiecta in ceruicem.* Piaculares victimæ.] *Quæ morte sua deorum auertunt iras. Piaculare enim id dicitur, quod uim habet expiandi: piaculum, ipsum sacrificium.* Lenta.] *Tarda, grauiora. Cùm uiui hominis membra sigillatim mutilantur, auferuntur, & crebris minutisque ictibus sæuitur in uiuum. Capite autem obtruncari, aut laqueo uitam finire, leuissimum supplicium esse putabant.* Ducerentur.] *Delatores.* Congesti sunt.] *Illustris oratio, quæ hoc exornat spectaculum.* Delationibus.] *Delatores enim innoxios deferebant, & sic imperium Romanum ualde uastatum exhaustúmq; fuit.* Inhospitale.] *Nulla hominum frequẽtia cultum. Duram & anxiam propter uictum, & mortem imminentem.* Coacta vela.] *Contracta.* Tempestatibus pandere.] *Explicare, permittere uela uentis, ut citò submergerentur.* Iratos fluctus.] *Impetuosos, undosos, qui irascentis instar obuia quæque sternunt.* Iuuabat.] *Species prosopopœiæ.* Sparsa nauigia.] *Diducta.* Illum ipsum.] *Portum.* Sua clementia

tia.] *Quod nõ omnes occidendes curasset.* Diuersitas temporum.] *Domitiani & Titi.* Affigeretur.] *Allusum est ad Prometheum caucaso affixum. Delatorum turba compleret. Martialis de exilio delatorum:*

Turba grauis Paci, placidæq; inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes.

Indagine.] *Septo, irretitu, circuitu. Indago rete est, quo saltus ferarum à uenatoribus cinguntur. Vergil. IIII. Aeneid.*

Saltúsque indagine cingunt.

Id Demosthenes 1. Philipp. περιστοιχίζεσθαι *dixit.*

Ereptum alienas pecunias eunt? perdunt quas habent: expellere penatibus gestiũt? suis exturbãtur: neq;, vt antea, exanguem illam, & ferream frontem nequicquã conuulnerandam præbeant punctis, & notas suas rideant: sed spectent paria præmio damna, nec maiores spes, quàm metus habeant, timeántque quantum timebantur. Ingenti quidem animo diuus Titus securitati nostræ, vltioníque prospexerat, ideóque numinibus æquatus est: sed quanto tu quandoque dignior cœlo, qui tot res illi adiecisti, propter quas illum deum fecimus. Id hoc magis arduum fuit, quòd imperator Nerua te filio, te successore dignissimus, perquàm magna quædam edicto Titi adstruxerat: nihílque reliquisse tibi videbatur, qui tam multa excogitasti, vt si ante te nihil esset inuentum. Quæ singula quantum tibi gratiæ dispensata adiecissent? at tu simul omnia perfudisti vt sol & dies non parte aliqua, sed statim totus: nec vni, aut alteri, sed omnibus in commune profertur. Quàm iuuat cernere ærarium silens, & quietum, & quale ante delatores erat, nunc templum illud, nunc vere deus, non spoliarium ciuium, cruentarúmque prædarum sæuum

uum receptaculum, ac toto in orbe terrarum adhuc locus vnus, in quo optimo principe boni malis impares essent.

COMMENTARIVS.

755 Ereptum alienas.] *ἀντίθεσις qua ostendit delatores suis*
756 *bonis euerti, cùm alios spoliare conantur.* Eunt.] Delato-
757 *res.* Penatibus.] *Domibus.* 758 Exanguem.] *Nunquàm*
759 *erubescentem.* Ferream.] *Perfrictam, inuerecundam.* Ne
761 quidquam.] *Frustra.* Punctis.] *Stigmatibus. uultus seruorum apud antiquos stigmate, id est nota inscriptus, ignominia non caruit. Fuitque signum quo serui ab ingenuis & liberis dignoscerentur. Cicero lib. 11. Offic. capite, Rerum autem. de Alexandro Phæreo, ô miserum qui fideliorem & barbarum & stigmaticum putaret, quàm coniugem! Plautus faciem stigmatica uocauit. Cicero in oratione pro Roscio Amerino, docet quomodo litera condemnationis ad caput olim affigebatur. Plin. hîc indicat malos principes frustrà seruis stigmata imurere, quia ob id nihilominus eis delatoribus credũt.*
762 Paria præmio damna.] *Vt enim delator quartã partem bonorum damnati consequebatur: sic quoque æquale damnũ,*
763 *cùm puniuntur expectant.* Nec maiores spes.] *Accusans enim alium, & id quod obijcit, non probans, pœnam talionis ex lege Remia incurrit. l. ultima. C. de accusa. l. si cui. eodem in*
764 *Pandectis.* Ingenti quodam animo.] *Titum laudat, qui grauissimè in delatores animaduertit, eósque in exilium exturbauit. Hic Titius optimus fuit princeps, & amor delitiaéq; populi dictus est. Verùm Plinius hic leuiter secum pugnare uidetur. In præcedentibus dictum est, Titum à Domitiano in Deos relatum, ut Domitianus Dei frater crederetur, Hîc uerò ait Plinius Titum esse æquatum numinibus, quia*

quadruplatores puniuit. Hunc nodum sic dissoluere possumus. Plinius hîc ueram causam consecrationis Titi commemorat, suprà uerò popularẽ retulit: quippe ut Domitianus maiorem populi gratiam colligit. Sed quantò tu.] *Auxerat Plinius* 755.
Titi res gestas, ut Traiani ampliores faceret. Plinius hîc uidetur expreßisse locum, quem Aristotel. bis inculcauit: Καὶ τὸ τὰ ἐλλειπῆ ἐπιτελεῖν ἥμισυ. *hoc est, opus inchoatum & imperfectum absoluere, suaue est. Sic Traianus, cùm id quod inchoauerat Titus perfecisset, eius totam gloriam sibi uendicare uisus est. Qui enim (inquit Iustinianus) nõ laudabiliter factum emendat, non minorem gloriam quàm is, qui inuenit, meretur.*
Id hoc magis.] *Hæc est plana eius loci explicatio, quem ex* 756
Aristotele iam citaui. Dispensata.] *Per interualla & pen-* 757.
sa distributa. Vt sol & dies.] *Sic Quintil. 11. cap. 1. libri:* 758.
Non enim uox illa præceptoris, ut cœna minus pluribus sufficit: sed ut sol uniuersis idem lucis calorisque largitur. At tu 759
simul.] *Proposito uno edicto, ad huius loci plenum intellectum uidenda est. l. edicto diui Traiani, de iure fisci. ff. & l. j. de interdict. In qua lege Pomponius (ut rescriptum Diui Traiani continet) Traianum clementißimum fuisse principem significat.* Quàm iuuat.] *Laus Traiani à modestia, qua in* 760
rebus fiscalibus usus est. Aerarium silens.] *Litibus non* 761
uexatum, hoc ærarium erat in æde Saturni, in qua publica pecunia reponebatur. Templum illud.] *Scilicet Saturni. In* 762
quo ob id ærarium publicum seruabatur, quia Saturni regnũ, furtis non fuit obnoxium. Non spoliarum ciuium.] *Non* 763.
locus, in quo ciues spolientur. spoliarium propriè locus est, in quo homines, qui balneas ingressuri sunt, exuunt. Hîc pro loco in quo aliquis spoliatur, sumitur. Est etiam locus, in quo noxij necantur, uel quia in eo uita priuantur, uel spoliati, & exuti à feris laniantur. Cruentarúmque prædarum.] 764

Sanguine innocentium. Locus vnus.] *Est optimo principe Traiano regnante.* Impares.] *Inæquales, differentes.*

Manet tamen honor legum, nihílque ex publica vtilitate conuulsum: nec poena cuiquam remissa, sed addita est vltio, solumque mutatum, quòd iam nō delatores, sed leges timentur. At fortasse non eadem seueritate fiscum, qua ærarium cohibes, imò tanto maiore, quantò plus tibi licere de tuo, quàm de publico credis. Dicitur actori, atq; etiam procuratori tuo, In ius veni, sequere ad tribunal: nam tribunal quoque excogitatū cruciatu est par cæteris, nisi illud litigatoris amplitudine metiaris. Sors & vrna fisco iudicem adsignat, licet reijcere, licet exclamare, Hunc nolo, timidus est, & bona seculi parum intelligit: illum volo, quia Cæsarem fortiter amat. Eodem foro vtuntur principatus, & libertas. Quæ præcipua tua gloria est, sæpius vincitur fiscus, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono principe. Ingens hoc meritum, maius illud, quòd eos procuratores habes, vt plerunque ciues tui non alios iudices malint. Liberum est autem disceptanti dicere, Nolo eum eligere: neq; enim vllam necessitatem muneribus tuis addis, vt qui scias hanc esse beneficiorum principalium summam, si illis & non vti licet.

COMMENTARIVS.

Manet tamen honor legum.] *Maiestas. Leges diligenter retinendæ sunt, quibus sublatis nihil cuiquam certum esse potest, quid suum, quid alienum sit.* Et, *Vt Aristoteles rectè ait,* ἐν τοῖς νόμοις ἐστὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως, *hoc est in legibus Repub. salus posita est.* Publica vtilitate.] *Publica pecunia.* Conuulsum.] *Labefactatum.* Vltio.] *Vindicta delatorum.* Leges timentur.] *Quæ sceleratos ad pœnas rapiunt.* At fortasse.] *ἀντιπεφορά, & transitio ad alia.* Fiscus est principis, ærarium est populi. Maiore.] *Seueritate cohibes.* De tuo.] *Fisco.* De publico.] *Aerario.* Dicitur actori.] *Aduocato.* Sequere ad Tribunal.] *Ostendit principis causam nullis priuilegijs subnixam esse, sed publicè, quemadmodum cuiusuis ex populo terminandam esse. Quid interfit inter uenire in uis, & ambulare in ius, disertè (ut omnia) docet Petrus Nānius in suis Miscellaneis.* Cruciatu est par cæteris.] *Supplico, seueritate. Hæc lectio retineri potest. Et si iudicatu non malè legendum esse quidam putant.* Litigatoris.] *Actoris fiscalis. Est ergo huius loci sensus: in tribunali fisci omnibus ex æquo ius dicitur, ut in cæteris tribunalibus, nisi quòd fisci actor huic aliquid ornamenti addat.* Sors & vrna.] *Laus Traiani à suorum iudicum electione: hi enim eodem iure, quo cæteri eliguntur, Sors & urna: hoc est electio, sortitio. De urna, in quam nomina futurorum iudicum conijciebantur, Cicero meminit IIII. Verrina: de iudicibus Aedititijs in Planciana.* Licet reijcere.] *Iudicem sortitum, datum.* Bona seculi.] *Felicitatem nostri temporis quo licet à principe abiudicare.* Fortiter.] *Valde, constanter. Id ob affectionem dictum esse, quæ à Tribulibus omnibus, tanquàm dira pestis auertenda est.* Principatus & libertas.] *Cæsar & populus.* Cuius mala causa.] *Egregia sententia, sub bono principe non est locus delatoribus, nec sceleratis hominibus, sic nihil in fiscum defertur. Adde bonum principem nolle uincere, nisi ex æquo & bono: Malus quo iure, quauis iniuria uincere conatur. Hic locus uidetur emendare superiorem, Boni malis impares sunt sub bono principe. Nam sub bono principe boni uincunt, nulla molestia afficiuntur, quocirca boni non sunt impares malis. Hi si quis*

quis dicat, sub bono principe bonos esse impares malis, quia boni honore, præmio afficiuntur: mali, ignominia, supplicio.
786 Ingens meritum.] *Beneficium* Cicero *pro* Marco Marcello: *Gloria, est illustris & peruagata fama multorum, &*
787 *magnorũ meritorũ.* Muneribus tuis.] *Beneficijs* 788 Liberũ est disceptanti.] *Litiganti.* Cicero *in* Partiti. Orator. *disce*
789 *ptatorem rei, sententiæq; moderatorẽ uocat.* Beneficiorum principalium.] *Quæ à principibus conferuntur. Sic principalis libertas, hoc est, principis. l. cùm multa. C. de bo. quæ lib.*

Onera imperij pleraque vectigalia institui, vt pro vtilitate communi, ita singulorum iniurijs coëgerunt. His vigesima reperta est, tributum tolerabile & facile hæredibus duntaxat extraneis, domesticis graue. Itaq; illis irrogatum est, his remissum: videlicet quod manifestum erat, quanto cum dolore laturi, seu potius non laturi homines essent, destringi aliquid, & abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent, quæque nunquam vt aliena & speranda: sed vt sua, semperque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cœpissent. Hæc mansuetudo legis veteribus ciuibus seruabatur. Noui seu per Latium in ciuitate, seu beneficio principis venissent, nisi simul cognationis iura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus coniunctissimi fuerant. Ita maximum beneficium vertebatur in grauissimam iniuriam: ciuitásque Romana instar erat odij & discordiæ & orbitatis, cùm charissima pignora salua ipsorum pietate distraheret. Inueniebantur tamen, quibus tantus amor nominis nostri inesset, vt Romanam ciuitatem non vigesimæ modò, verumetiam adfinitatum damno bene compensari putarent, sed ijs maxime debebat gratuita contingere, à quib

quibus tam magno æstimabatur. Igitur pater tuus sanxit, vt quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis peruenisset ad matrem etiam si cognationum iura non recepissent: cum ciuitatem adipiscerentur, eius vigesimã ne darent. Eandem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modò reductus esset in patris potestatem ratus improbè & insolenter, ac penè impiè his nominibus inseri publicanũ: nec sine piaculo quodam sanctissimas necessitudines velut intercedente vigesima scindi: nullum esse tanti vectigal, quod liberos, ac parẽteis faceret extraneos.

COMMENTARIVS.

Onera imperij.] *Plinius hic prolixè numeroséq; disse-* 790
rit de oneribus, quæ alij Imperatores imperio, hæreditatibus legatis imposuerunt. hæc omnia Traianus *pro sua in omnes liberalitate, humanitate, clementia, sustulit & exemit. Quò autem faciliùs planiúsque sequentia intelligantur, rem uniuersam compendio perstringam.* Augustus *Cæsar pecunijs exhaustus, legem tulit, ut singuli hæredes & legatarij uigesimam hæreditatis & legatorum partem principi restituerẽt. Ab hac lege* Augustus *exceperat tenuiores & hæredes defunctis sanguine iunctos.* Hanc *duram & asperam hæredibus & legatarijs legem,* Nerua *parcè emendauerat.* Traianus *uerò hoc onere omnes hæredes promiscuè leuauit.* Hoc *immortale beneficium* Plinius *in* Traiano *laudat, suspicit, uenerat-tur.* Hæc *succincta est sententia eorum, quæ copiosè à* Plinio *tractantur.* Cornelius Tacitus *meminit uigesimæ uenalium mancipiorum, & apud* Scriptores *rerum mentio fit, uigesimæ frumentariæ.* Sed Plinius *noster de uigesima hæreditatis & legatorum hîc intelligendus est.* Pomponius *in l. ij. de orig. iur.*

iur.& Offilium Cæsari fuisse familiarissimum, & primùm de legibus uigesimæ scripsisse commemorat. Hinc *lector studiose intelligis, totum hunc* Plinij *locum ex* Iuris *ciuilis penetralibus desumptum esse.* Pro vtilitate communi.] In
799 *militum stipendia.* His vigesima reperta est.] Vt *uigesima pars hæreditatis & legatorum principi exolueretur.*
793 Hæredibus extraneis.] *His qui iuris testatoris subiecti non sunt.* Hoc *loco repetenda est ea diuisio hæredum, quæ est apud*
794 Iustinianum *lib.* Instit. 11. *de hæredum qualit.& differ.* Do
795 mesticis.] *Suis & gentilitijs.* Itaque illis.] *Extraneis.*
796 His.] Domesticis.[797] Distringi.] *Auferri.*[798] Gentilitate.]
799 Agnatione. Sacrorum societate.] *Communione.* Respexit Plinius *ad prouerbium,* Sine *sacris hæreditatis. cùm commoditatem de improuiso præter sumptum obiectam esse significamus. Sic hæreditas implicata sacrorum communione dicitur, cùm hæredi onus sacrorum celebrandorum annexum est.* Adagionis *originem* Andreas Alciatus *commemorat, libro prætermissorum primo.* Vide Erasmum *in* Chiliadibus. Sed vt sua.] Nam *suus hæres, domesticus hæres est, & dominus quodammodo uiuente patre. l. in suis. ff. de liber. & posth.*
800 Proximo cuique.] Hoc *ad fideicommissum referri potest.* Hæredis *enim fidei committebatur, ut alteri hæreditatem re-*
801 *stitueret. §. in primis. de fideicom. hæredit.* Hæc mansuetudo legis.] Vt *extranei hæredes soluerent uigesimam, do-*
802 *mestici & familiares minimé.* Noui.] Plinius *respondet tacitæ cuidam obiectioni.* Noui Ciues, *qui per conditionem Latinorum in urbem uenerant, si non impetrauerant iura consanguinitatis, externorum hæredum iure censebantur, & uigesimam soluebant.* Qui *autem dicantur* Libertini, Latini, *petendum est.* Ex *§. libertinorum. de libert. lib.* 1. Institut. *quo*
803 *loco legendus est* Theophilus *&* Ferrarius Montanus. Ma*ximum*

ximũ beneficiũ.] *Scilicet donatum esse* Romana *ciuitate.* Grauissimam iniuriam.] *Scilicet, cùm donati ciuitate uigesimam soluere cogerentur.* Instar erat.] *Similitudinem* 804 805
habebat odij, discordiæ, & orbitatis: quia ciues debita hæreditate spoliabat. Charissima pignora.] *Liberos, qui amã-* 806
807 *ter se diligebant.* Distraheret.] Distingueret. Inueniebantur.] *Quidam tam pertinaciter* Romam *amabant, ut libenter & uigesimam exolucrent, & affinitate priuarentur, modò ciues crearentur.* Aestimabitur.] Vigesimæ exolu- 808 809
tione, & affinitatis damno. Igitur pater tuus.] Plinius 810
hic attigit duo senatusconsulta, Tertyllianum, *per quod mater succedit filio, filiáue, &* Orficianum, *per quod filius filiáue matri succedit. In quibus* Nerua *sanxit, ne uigesimæ sol-*
811 *ueretur.* Ex matris.] Per Orficianum. Ex liberorum.] 812
Per Tertyllianum. Cognitionum iura.] Et *remotiores* 813
in gradu essent. Immunitates.] *Liberationes ab onere uigesimæ.*[815] Tribuit.] Nerua. In patris potestatem.] Vt *si* 814 816
filius emancipatus rursus in patriam potestatem reuertatur. Id quomodo fiat, ex Iustiniano *in titulo, quib. mod. ius patriæ potest. sol. facilè colligitur.* His nominibus.] Cognatio- 817
num parentum. Publicanum.] *Qui uigesimam auferret.* 816
Publicani autem sunt, qui publico fruuntur. Nam inde nomen habent, siue fisco uectigal pendant, uel Tributum *consequantur: & omnes, qui quid à fisco conducunt, rectè appellantur publicani.* Vlpianus. *l. j. de public.* Disserit Alexãder *ab* Alexandro *lib.* 11. *genialium dierum, cap.* XXIX. Piaculo 819
quodam.] Nefario *scelere.* Sanctissimas necessitudi- 820
nes.] *Amicitias inuiolabiles.* Nullum est.] ἐπιφώνημα. 821

Hactenus ille, parcius fortasse, quàm decuit optimũ principem: sed non parcius, quàm optimum patrẽ, qui optimum adoptaturus, hoc quoque parentis indulgentissim

tissimi fecit, quòd delibasse quædam, seu potius demonstrasse contentus, largam, ac propè intactam bene faciẽdi materiam filio reseruam. Statim ergo muneri eius liberalitas tua adstruxit, vt quemadmodum in patris filius, sic in hæreditate filij pater esset immunis: nec eodẽ momento, quo pater esse desijsset, hoc quoque amitteret, quod fuisset. Egregie Cæsar, quòd lacrymas parentum vectigaleis esse non pateris. Bona filij pater sine diminutione possideat, nec socium hæreditatis accipiat, qui non habet luctus: nemo recentem & attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogátque patrem quid reliquerit filius, scire. Augeo Patres C. principis munus, cum ostendo liberalitati eius inesse rationem: ambitio enim, & iactantia, & effusio, & quiduis potius quàm liberalitas existimanda est, cui ratio non constat. Dignum ergo Imperator mansuetudine tua, minuere orbitatis iniurias, nec pati quemquam filio amisso insuper affici alio dolore: sic quoque abunde misera res est, pater filio solus hæres: quid si cohæredem nonà filio accipiat? Adde quòd cum diuus Nerua sanxisset, vt in paternis bonis liberi necessitate vigesimæ soluerentur, congruens erat eandem immunitatem parentes in liberorum bonis obtinere.

COMMENTARIVS.

822 Hactenus ille.] *Hucusque Plinius commemorauit id,*
823 *quod Nerua in uigesima emendauit.* Ille.] *Nerua.* Deli-
824 basse.] *Leuiter attigisse.* Demonstrasse.] *Quasi digi-*
825 *tum in fontes intendisse.* Largam.] *Magnam & integrã.*
826 Statim ergo.] *Traianus benefaciendi materiam à patre de-*
827 *monstratam, auctiorem reddidit.* Immunis.] *Liber à uigesima*

gesimam præstanda. Quod fuisset.] *Patris, nomen quod in* 829
830 *bonis maximè retinetur.* Vectigalis.] *Tributarias.* Bo- 831
na filij.] *Ἐπιμονή, per exclamationem.* Diminutione.] 832
Detractione uigesimæ. 833 Attonitam.] *Perculsam.* Ad cõ- 834
putationem.] *Rationem reddẽdam hæreditatis.* Augeo.] 835
Occurrit tacitæ obiectioni. Rationem.] *Causam legitimã.* 836.
837 Ratio non constat.] *Modus, ordo, mediocritas.* Dignum 838
ergo.] *Amplificatio huius muneris ab utilitate.* Alio do- 839
lore.] *Detractione uigesimæ. Peruagatum enim, Afflictum affligere non oportere. l. iure succursum. ff. de iure dot.* So- 840
lus hæres.] *Quia filius liberos non reliquit.* Quid si co- 841
hæredem.] *Sed publicanum detrahentem uigesimam. Cohæres est, qui cum alio hæres instituitur.* Solueretur.] *Libe-* 842
raretur. Congruens erat.] *Quia ubi eadem est ratio, idem* 843
ius statuendum est. l. illud. ad legem Aquiliam.

Cur enim posteris amplior honor, quàm maioribus haberetur? cúrve non retro quoque recurreret æquitas eadem? Tu quidem Cæsar illam exceptionem remouisti, si modò filius in potestate patris fuisset: intuitus opinor vim, legémque naturæ, quæ semper in ditione parentum esse liberos iussit, nec vti inter pecudes, sic inter homines potestatem, & imperium valentioribus dedit. Nec vero contentus primũ cognationis gradum abstulisse vigesimæ, secundum quoque exemit: cauítque, vt in sororis bonis frater, & contrà in fratris soror: vtque auus, auia in neptis, nepotísque, & inuicem illi seruarentur immunes. His quoque, quibus per Latium ciuitas Romana patuisset, idem indulsit: omnibúsque inter se cognationum iura commisit simul & pariter, & moræ naturæ, quæ priores principes à singulis rogari gestiebant, non tam præstandi animo, quàm

negandi. Ex quo intelligi potest, quantæ benignitatis, quanti spiritus fuerit sparsas, atque (vt ita dicam) laceras gentilitates colligere, atque connectere, & quasi renasci iubere: deferre quod negabatur, atque id præstare cunctis, quod sæpe singuli non impetrassent. Postremò ipsum sibi eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi imputandíque materiam, indignũ credo ei visum ab homine peti, quod dij dedissent. Sorores, estis, & frater, auus & nepotes, quid est ergo cur egetis, vt sitis, vobis estis. Qui pro cætera sua moderatione non minus inuidiosum putat dare hæreditatẽ, quàm auferre.

COMMENTARIVS.

844 Cur enim.] *Ratio loci superioris à pari.* 845 Tu verò.] *Emendat Traianus exceptionem Neruæ. Quæ erat, qui in po*
846 *testate patris sunt, uigesimam non soluunt. Nunc siue sint in po*
847 *testate patris, siue non, uigesimam non exoluunt.* Legem natu-
848 ræ.] *Hic obseruãdũ iure naturali liberos semper esse in pa*
849 *tris potestate, siue sui, siue emãcipati.* Nec verò.] *Amplifica*
850 *tio à natura & affectu: ut iure naturali omnes æquales sunt:*
851 *ita Traianus omnes à uigesima uoluit esse immunes.* Per la-
852 tium.] *Modum & cõditionem Latinorum.* Non tam præ-
853 standi animo.] *Non tam, quod præstarent, quàm quod negarent. Quasi dicat potiùs negaturi, quàm concessuri. Similis loquendi forma est apud Pomponium Iurisconsultum in l. si ita quis. de hæred. instit. Quia non tam coniunxisse, quàm celeriter dixisse uidetur.* Ex quo.] *Laus à difficultate.* Quanti
854 spiritus.] *Magnanimitatis. Sic Valerius, ingentis spiritus uir.* Deferre.] *Vltrò offerre.* 855 Imputandíque mate-
856 riam.] *Expensum ferendi.* Dij dedissent.] *Natura, quam dij*

dij dant. Sorores estis.] *Elegans dialogismus in persona Traiani.* 857 Cur egetis.] *Ope alterius.* Vobis estis.] *Vt sitis immunes à uigesima, ex uobis estis.* Dare hæreditatem.] *Quæ iure natura debetur.*

Læti ergo adite honores, capessite ciuitatem, neminem hoc necessitudinis abruptum velut truncum, amputatúmque destituet: ijsdem omnes, quibus antè, pignoribus, sed honestiores perfruentur, ac ne remotus quidem, iámque deficientis affinitatis gradus à qualibet quantitate vigesimam, vt prius, inferre cogetur: statuit enim communis omnium parens summam, quæ publicanum pati possit. Carebit onere vigesimæ parua & exilis hæreditas: & si ita gratus hæres volet, tota sepulchro, tota funeri seruetur: nemo obseruator, nemo castigator adsistet. Cuiuscunque modi ea pecunia ex hæreditate alicuius obuenerit, securus habeat, quietúsque possideat. Ea lex vigesimæ dicta est, vt ad periculũ eius perueniri nisi opibus non possit. Conuersa est iniquitas in gratulationem, iniuria in votum, optat hæres vt vigesimam debeat. Additum est, vt qui eiusmodi ex causis in diem edicti vigesimam deberent, nondum tamen intulissent, non inferrent. At in præteritum subuenire, ne dij quidem possunt: tu tamen subuenisti, cauistíque, vt desineret quisque debere, quod non esset postea debiturus. Idem fecisti, ne malos principes habuissemus. quo ingenio, si natura pateretur, quàm libenter tot spoliatis, tot trucidatis sanguinem, & bona refudisses. Vetuisti exigi, quod deberi non tuo seculo cœperat. Alius vt cõtumacibus irasceretur, tarditatémque soluendi dupli, vel etiam quadrupli irrogatione multaret. Tu nihil referre iniquitatis existimas, exigas

quod deberi non oportuerit, an constituas vt debeatur. Feres Cæsar curam & solicitudinem consularem: nam mihi cogitanti eundem te collationes remisisse, donatiuum reddidisse, congiarium obtulisse, delatores abegisse, vectigalia temperasse, interrogandus videris, satísne computaueris imperij reditus, an tantas vires habeat frugalitas principis, vt tot impendijs, tot erogationibus sola sufficiat?

COMMENTARIVS.

860 Læti ergo.] *Adhortatio grauis.* 861 Abruptum.] *Edictum Traiani neminem à familia sua tanquàm truncum abrũpit.*
862 Pignoribus.] *Liberis.* 863 Honestiores.] *Purè ciues Romani.*
864 Acne.] *Traianus ut omnes eadem demereretur beneuolentia, summam statuit, quam publicanus exigere pote-*
865 *rat.* Et si ita gratus.] *Grati animi indicium erat, magno iustorum honore defunctos prosequi. In quæ si hæres totam*
866 *effudisset hæreditatem, uigesima tamen caruisset.* Castiga-
867 tor.] *Corrector sumptuum funeralium.* Modi.] *Quantita-*
868 *tis.* Ex hæreditate obuenerit.] *Siue ex institutione, sub-*
869 *stitutione, legato, fideicommisso.* Securus habeat.] *Sine ui-*
870 *gesimæ periculo.* Ea lex.] *Vigesimam non debebant, nisi qui amplum habebant, patrimonium. Optarent ergo nunc ui-*
871 *gesimam, ut copiosam hæreditatem haberent.* Opibus.]
872 *Ampla hæreditate.* Iniquitas.] *Vigesimæ detrahendæ.*
873 Additum est.] *Amplificatio à tempore edicti.* 874 Diem edi
875 cti vigesimam.] *In diem edicto præscriptam.* In præteri-
876 tum.] *Tempora superiora. Laus à difficultate.* Ne Dij quidem possunt.] *Quia potentia eorum in præteritum non extenditur, Aristotel. 11. cap. VI. libri Ethicorum Agathonis carmen in hanc sententiam citat:*

Μόνε

Μόνε γὰρ αὐτὸς καὶ θεὸς στερίσκεται,
Αγένητα ποιεῖν, ὅσ' ἂν ἢ πεπραγμένα.

Hoc est, Erasmo *interprete,*

Etenim illud unum ipsi negatum & Deo, ut
Infecta reddat, facta quæ fuerint semel.

Idem fecisti.] *Ne ciues uiderentur malos principes habuisse, Traianus eis decimæ onus iniunctum remisit. Et si fieri potuisset, uiris bonis trucidatis, uitam restituisset. Similis locus est in laudem Cæsaris pro M. Marcello.* Tuo seculo.] *Tuis temporibus.* Contumacibus.] *Refractarijs, debitoribus.* Nihil referre.] *Nihil esse discriminis inter duas sequentes iniquitates.* Feres Cæsar.] *Congeries & epilogus dictorum.* 880 Consularem.] *Mei consulis.* Collationes.] *Indictiones.* 884 Donatiuum.] *Militibus.* Congiarium.] *Populo.* 886 Temperasse.] *Elegans* ὁμοιοτέλευτον. Frugalitas principis.] *Cicero pro Deiotaro, frugi hominem dici, non multum habet laudis in rege, fortem, iustũ, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ uirtutes ac laudes.*

Nam quid est causæ, cur alijs quidem cum omnia raperent, & rapta retinerent, vt si nihil rapuissent, nihil retinuissent, defuerint omnia: tibi cum tam multa largiaris, & nihil auferas, omnia superfint? Nũquam principibus defuerunt, qui fronte graui, & tristi supercilio vtilitatibus fisci contumaciter adessent: & erant principes ipsi sua sponte auidi, & rapaces, & qui magistris nõ egerent, plura tamen semper à nobis contra nos didicerunt: sed ad tuas aureis cum cæteris omnibus, tum vel maxime auaris adulationibus obstructus est aditus. Silent ergo, & quiescunt, & postquam non est, cui suadeatur, qui suadeant non sunt. Quo euenit, vt tibi cùm plu-

rimum pro tuis, tum pro nostris moribus debeamus. Locupletabant & fiscum & ærarium, non tam Voconiæ & Iuliæ leges, quàm maiestatis singulare, & vnicum crimen eorum, qui crimine vacarent, huius tu metum penitus sustulisti, contentus magnitudine, qua nulli magis caruerunt, quàm qui sibi maiestatem vindicabant. Reddita est amicis fides, liberis pietas, obsequium seruis, verentur & parent, & dominos habent. Nō enim iam serui principis nostri amici, sed nos sumus, nec pater patriæ alienis se mancipijs chariorem, quàm ciuibus suis credit, omneis accusatore domestico liberasti, vnóque salutis publicæ signo illud (vt sic dixerim) seruile bellum sustulisti, in quo non minus seruis, quàm dominis præstitisti, hos enim securos, illos bonos fecisti. Non vis interea laudari: nec fortasse laudāda sint, grata sunt tamen recordantibus principem illum in capita dominorum seruos subornantem, monstrantémque crimina, quæ tanquam delata puniret: magnum & ineuitabile, ac toties cuique experiēdum malum, quoties quisque simileis principi seruos haberet.

COMMENTARIVS.

888 Nam quid est causæ.] *παραδοξοτάτως hæc omnia dicuntur. Nam mali principes & si omnia rapiebant, nihil tamen habebant: Rursus Traianus elargitur omnia, & omnibus affatim abundat.* Nunquàm principibus defuerunt. 889] *Expatiatur in locum communem de adulatoribus: qui apud principes principem locum (ὡς ἐπιτοπολὺ) tenere solēt. His Traianus aures non patefacit. Horum pestiferos mores Demosthenes olynthiaca prima grauiter his uerbis exprimit: τί βούλεσθε; τί γράψω; τί ὑμῖν χαρίσομαι. Quid uultis? quid scribam? quo uobis gratificabor? Videndus est Plutarchus in libello de differentia adulatoris & amici.* Defuerunt.] *Adulatores.* Contumaciter adessent.] *Summa cum diligentia operam darent.* 892 Rapaces.] *Verris instar.* Magistris.] *Admonitoribus. Paulus Iurisconsultus in l. quibus. de uerbo. signific. Quibus præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quàm cæteri, diligentiam & solicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi magistri appellantur. Quin etiam & ipsi Magistratus per deriuationem à Magistris cognominantur. Vnde etiam cuiuslibet disciplinæ præceptores, Magistros appellantur, à monendo uel monstrando.* Plura à nobis.] *A sena tu.* 896 Contra nos.] *In nostrum detrimentum.* Solent ergo.] *Ratiocinatur ἀπὸ τοῦ πρόσι, princeps non audit adulatores, nullos ergo habet. Qualis enim princeps est, tales & ciues habere solent.* Locupletabant.] *Traianus legem Voconiam & Iuliam Maiestatis, de his, qui innocēter rei fiebant, penitus sustulit. Lex Voconia à Voconio dicta est, qua cautum erat, ne quis filiam hæredem, mulierémue scriberet. Meminit Cicero pro Cornelio Balbo, & III. in Verrem actione. Hanc legem Marcus Cato Maior suasit. Cuius Cicero quoque in Catone Maiore meminit.* Iuliæ.] *Maiestatis.* Magnitudine.] *Magnanimitate.* Reddita est amicis fides.] *Traianus eos in concordiam redegit, qui acerrimo diffidebant odio. Id τῇ ἐπωγωγῇ probat.* Vnóque signo.] *Sic Cicero pro M. Marcello, dicit Cæsarem signum aliquod ad bene sperandum de Repub. substulisse.*

In eodem genere ponendum est, quòd testamenta nostra secura sunt: nec vnus omnium, nunc quia scriptus hæres, non tu falsis, non tu iniquis tabulis aduocaris, nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit: nec quia offendit alius nūcuparis, sed quia

890 891 893 894 895 897 898 899 900

ipse meruisti. Scriberis ab amicis, ab ignotis præteriris? nihilq; inter priuatum, & principem interest, nisi quòd nunc à pluribus amaris: nam & plureis amas. Tenes Cæsar hunc cursum, & probatur experimento, sit'ne feracius, & vberius non ad laudem modò, sed ad pecuniam principi, si herede illo mori homines velint, quàm si cogantur. Donauit pater tuus multa, & ipse donasti: cesserit parum gratus, manent tamen ij, qui bonis eius fruantur, nihilque ex illis ad te, nisi gloria redit: nam liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit. Sed quis ante te laudem istã pecuniæ prætulit? quotus quisque principum ne id quidem in patrimonijs nostris suum duxit, quod esset de suo? Nonne vt regum, ita Cæsarum munera illitos cibis hamos, opertos præda laqueos æmulabantur? cum priuatis facultatibus velut hausta, & multiplicata retro secum quicquid attigerant, referrent? Quàm vtile est ad vsum secundorum per aduersa venisse? Vixisti nobiscum, periclitatus es, timuisti, quę tunc erat innocentium vita, scis & expertus es, quantopere detestentur malos principes, etiam qui malos faciunt. Meministi, quę optare nobiscum, quæ sis queri solitus, Nam priuato iudicio principem geris: meliorem imò te præstas, quàm tibi alium precabare. Itaque sic imbuti sumus, vt quibus erat summa votorum, melior pessimo princeps, iam non possimus nisi optimum ferre.

COMMENTARIVS.

In eodem genere ponendum.] *Eandem meretur laudem. Redit ad locum superiorem de testamentorum conseruatione.* Secura sunt.] *Secura testamenta hîc uocat, quæ princeps non impugnat. Securum itaque testamentum iniusto, rupto, & irrito opponitur. De quo titulus extat libro Pandectarum* XXVIII. Nec vnus omnium.] *Princeps hæres est.* Non tu falsis.] *Suppositijs.* Tabulis.] *Testamentarijs.* Iracundia.] *Patres sæpe ira in filios ob iustas causas incensi, eos exhæredes faciunt. Adhæc si filius parentes in testamento suo prætereat, horum tamen hæreditatem Traianus sibi non uendicat.* Nullius furor.] *Qui furore & mente captus est, eo tempore testamentum facere non potest. l. in aduersa. ff. de testamen. l. ij. eodem titulo. l. penult. §. exigit prætor. ff. de bonor. posses. secundum tabulas. §. à furiosi. lib. Instit. II. quibus non est permis. fac. test. Finge ergo aliquem furore correptum, & in eo extinctum, huius hæreditatem Traianus (ut alij principes) non rapiebat.* Offendit alius.] *Vt filius patrem.* Nuncuparis.] *Disertè hæres nominaris. Id de testamento nuncupatiuo (ut uulgo loquũtur) intelligendum est: cùm testator septem testibus adhibitis, suam uolũtatem coram eis nuncupat, hoc est nominatim, disertè, exprimit. De quo Iustinianus Imperator. §. ult. de testam. ordin. Si quis autem sine scriptis uoluerit ordinare iure ciuili testamentum, septem testibus adhibitis, & sua uoluntate corã eis nuncupata, sit ad hoc perfectißimum testamentum iure ciuili firmúmq; constitutum.* Tenes Cæsar.] *Plinius hîc docet non solùm uirtutem formosam esse, sed etiam uberrimum ex ea hauriri fructum.* Hunc cursum.] *Vitæ modum, & rationem. Sic Cicero in præfatione I. de Orat. ad Q. fratrem, uitæ cursum tenere dixit.* Quam si cogantur.] *A' Tyrannis.* Pater tuus multa.] *Nerua fiscum pecunijs distentum inueniẽs, quas Domitianus compilauerat, eas tenuioribus restituit.* Cesserit.] *Abierit è uita, parum declarans gratitudinem ultima uoluntate.* Nam liberalitatem.] *Egregia senten*

ſententia: beneficij memor, & Dijs, & hominibus gratus: Immemor, & Dijs & hominibus odioſus eſt. Sed quis.] *Amplificatio per comparationem.* Laudem illam.] *Liberalitatis.* Pecuniæ prætulit.] *Quaſi dicat, nemo.* Illitos cibis hamos.] *Metaphora ſumpta à piſcatoribus & aucupibus. Alludit ad Veſpaſianum, qui munerum præfectos diuites factos, tanquàm uuidos exprimebat.* Quàm vtile eſt.] *Acclamatio, qua ad alia tranſit.* Periclitatus es.] *Regnante Domitiano. Boni enim malis principibus ſuſpectiores ſunt.* Malos faciũt.] *Inducũt ad flagitia, ut aſſentatores.* Nam priuato iudicio.] *Qualem tu priuatus principem optabas, talem nunc te præſtas.*

Nemo eſt ergo tam tui, tam ignarus ſui, vt locum ipſum poſt te concupiſcat. Facilius eſt, vt eſſe aliquis ſucceſſor tuus poſsit, quàm vt velit. Quis enim curæ tuæ molem ſponte ſubeat? quis comparari tibi non reformidet? Expertus & ipſe es, quàm ſit oneroſum ſuccedere bono principi, & afferebas excuſationẽ adoptari. An prona, paruáque ſunt ad æmulandum, quòd nemo incolumitatem turpitudine rependit? Salua eſt omnibus vita, & dignitas vitæ: nec iam conſideratus, ac ſapiens, qui ætatem in tenebris agit. Eadem quippe ſub principe virtutibus præmia, quæ in libertate: nec benefactis tantùm ex conſcientia merces, ſed etiam præmia ſunt. Amas conſtantiam ciuium, rectóſque, ac viuidos animos, non vt alij, contundis ac deprimis, ſed foues, & attollis. Prodeſt bonos eſſe, cum ſit ſatis, abundéque, ſi non nocet. His honores, his ſacerdotia, his prouincias offers: hi amicitia tua, hi iudicio florent: acuuntur iſti integritatis, & induſtriæ pretio, ſimiles & diſsimiles alli ciuntur: nam præmia bonorum malorúmque bonos

ac

ac malos faciunt. Pauci adeò ingenio valent, vt non turpe honeſtúmque, prout bene ac ſecus ceſsit, expetant, fugiant've: cæteri vbi laboris inertiæ, vigilantiæ ſomno, frugalitatis luxuriæ merces datur, eadem illa, quibus alios artibus aſſecutos vident, conſectantur: qualésque ſunt illi, tales eſſe & videri volunt, & dum volũt, fiunt.

COMMENTARIVS.

Nemo eſt ergo.] *Singularis Traiani probitas, ſucceſſores ab imperio reijcit.* Facilius eſt.] *Amplificat hunc locum à difficultate ſuccedendi bonis principibus.* Quàm vt velit.] *Nam ſi quis uelit tuus dignus eſſe ſucceſſor, in tua ueſtigia incurrere debet. Quod perarduum eſt.* An prona.] *Procliuia, facilia.* Turpitudine rependit.] *Vita flagitioſa redimit. Solebant enim flagitioſi homines apud flagitioſos principes ſua narrare facinora, & ſic principibus grati erãt. Nam apud nefarios imperatores omnes uel mali erant, uel ſe, malos ſimulabant, ne à malis imperatoribus punirentur.* Salua eſt omnibus.] *Oſtendit ex malis ſeculi præteriti quænam ſint dotes præſentis temporis.* Et dignitas.] *Traductio. Magna laus eſt, conſeruare omnibus non ſolùm uitam, ſed etiam uitæ dignitatem, ut honorem, magiſtratum. Hoc nomine Cicero in oratione pro M. Marcello Cæſari gratias agit.* Conſideratus.] *Cautus, circunſpectus.* In tenebris.] *In obſcuro, nõ in hominum oculis.* Eadem quippe.] *Præmia ſcilicet propoſita ſunt. Eſt autem* αἰτιολογία. Quæ in libertate.] *δημοκρατία.* Nec benefactis tantum.] *Boni uiri ſæpe rectam ſuam dictorum factorúmq; conſtantiam ampliſſimum putant præmium. At ſub Traiano huic conſcientiæ bene conſtitutæ merces accedit. Cicero in epiſtolis familiaribus frequenter recta conſcientia ſe conſolatur. Nam*

gent

gentiles, qui cœlestem non sperabant uitam, si quando meritis præmia non respondebant, ex conscientia se sustentabant. Rectósque.] *Erectos, sublimes.* Viuidos.] *Alacres.* Contundis.] *Verberibus cohibes.* His honores.] *Traianus uiros bonos præmijs continebat & honoribus. bonos alit artes, omnésque incendimur ad studia, gloria: iacéntque ea semper, quæ apud quosque improbantur.* Acuuntur.] *Delatores mali.* Præmia bonorum.] *Egregius hic est locus, quem Magistratus in memoria habere debet: Præmia & pœnæ ciuitatem retinent in concordia. Romani duabus rebus cæteras nationes suæ ditioni adiecerunt: proponendo bonis præmia, ignauis uerò pœnas. Hæc duo sunt ueluti uincula, quibus ciuitas cõcordiam retinet, & floret. Sic Vlpianus Iuriscõsultorũ facilè princeps. l. j. de iustit. & iur. Iustitiam nanq; colimus, boni & æqui notitiam profitemur: æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes: bonos non solùm metu pœnarum, uerùm etiam præmiorũ exhortatione, efficere cupientes: ueram (nisi fallor) philosophiam non simulatam adfectantes. Et hæc est Platonis sententia. Pauci ingenio ualent: pauci honestum per se expetunt, & turpitudinem fugiunt.* Cæteri vbi.] *Elegans antithesis: Cùm ea præmia, quæ debentur laboriosis, uigilantibus, frugi hominibus, proponuntur inertibus, somniculosis & luxu perditis, tunc scelerati multos ad sui imitationem prouocant.*

Et priores quidem principes excepto patre tuo, pretereà vno aut altero, & nimis dixi, vitijs potius ciuium, quàm virtutibus lętabantur. Primum quòd in alio suaquenque natura delectat: deinde, quòd patientiores seruitutis arbitrabantur, quos non deceret esse nisi seruos: horum in sinum omnia congerebãt: bonos autem otio, aut situ abstrusos, & quasi sepultos non nisi delationibus

bus, & periculis in lucem, ac diem proferebant. Tu amicos ex optimis legis: & Hercule æquum est, esse eos charissimos bono principi, qui inuisi malo fuerint. Scis vt sicut diuersa natura dominatio, & principatus: ita non alijs esse principem gratiorem, quàm qui maximè dominum grauentur. Hos ergo prouehis, & ostentas quasi specimen & exemplar, quæ tibi secta vitæ, quod hominum genus placeat. Et ideo non censuram adhuc, non præfecturam morum recepisti: quia tibi beneficijs potius, quàm remedijs ingenia nostra experiri placet: & alioqui nescio an plus moribus conferat princeps, qui bonos esse patitur, quàm qui cogit. Flexibiles quãcunque in partem ducimur à principe, atque (vt ita dicam) sequaces sumus: huic enim chari, huic probati esse cupimus, quod frustra sperauerunt dissimiles: eoq; obsequij continuatione peruenimus, vt propè omnes homines vnius moribus viuamus. Porrò non tam sinistrè constitutum est, vt qui malum principem possumus, bonum non possimus imitari.

COMMENTARIVS.

Et priores.] *Amplificatio à corruptela principũ.* Vno aut altero.] *Augusto, Tito.* Vitijs potius.] *Boni uiri olim spernebantur, mali in aulis principum uersabantur.* Primũ quod.] *Prima ratio loci superioris. Sui similibus delectantur omnes. Id Aristoteles primo Rhetor. his uerbis docet:* Καὶ ἐπεὶ τὸ κατὰ φύσιν ἥδυ, τὰ συγγενῆ καὶ ὅμοια, ἡδέα ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. οἷον ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ, καὶ ἵππος ἵππῳ, καὶ νέος νέῳ. ὅθεν καὶ αἱ παροιμίαι εἴρηνται· ὡς ἥλιξ ἥλικα τέρπει, καὶ ὡς ἀεὶ τῷ ὁμοίῳ φίλον τὸ ὅμοιον, καὶ ἔγνω ἡ θὴρ θῆρα, καὶ ἀεὶ κόλοιος παρὰ κολοιόν

λιὸν, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. *hoc est: Postquam id quod à natura est, iucundum est, cognata autem sunt secundum naturam, omnia generis eiusdem & similia. Iucunda, ut plerunque fieri solet, erunt. Vt homo hominem, equus equum, iuuenis iuuenem delectat. Et simile simili amicum est. et fera feram agnoscit, & graculus aßidet graculo.* Deinde quod.] *Secunda eiusdem loci ratio.* In lucem.] *Sic Cicero pro Archia Poëta: In lucem apertúmque proferre dixit.* Tu amicos.] ἐπιχείρημ' ἐκ τῶν ἐναντίων. *docet mores Traiani fuisse loco censuræ uel præfecturæ morum.* Dominatio.] *Tyrannis.* Dominum.] *Tyrannum.* Grauentur.] *Grauatè ferant.* Ostentas.] *Spectandos exhibes.* Specimen & exemplum.] *Indicium, significationem. Est autem specimen id, unde cætera spectantur, uel à quo cæterorum cõiectura ducitur. Cicero in præfatione* IIII. *ad Herenn. Huius exemplum aliunde rogabo tibi quod ostendam.* Sectæ.] *Studium, ratio, institutio. est autem secta,* Diogene Laertio *authore, quæ rationem aliquam iuxta id quod apparet, & in promptu est, sequitur græcè,* Σκεπτικὴ *dicitur.* Præfecturam.] *Disciplinam.* Remedijs.] *Castigationibus, correctionibus.* Et alioqui.] ἀπορία. Sequaces sumus.] *Sequax uerbum prædurum Plinio uisum est, propterea usus est remedio, de quo Quintil. lib.* VIII. *cap.* III. *Et si quid periculosius finxisse uidebimur, quibusdam remedijs præmuniendum est: ut ita dicam, si licet dicere, quodammodo, permitte mihi sic.* Porrò.] *Nõ est difficilius imitari bonos principes, quàm malos.*

Perge modo Cæsar, & vim, effectúmque censuræ, tuum propositum, tui actus obtinebunt: Nã vita principis censura est, eáque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: nec tã imperio nobis opus est, quàm exẽplo, quippe infidelis recti magister est metus. Melius

lius homines exemplis docentur, quæ in primis hoc in se boni habent, quòd approbant, quæ præcipiunt fieri posse. Et quis terror valuisset efficere, quod reuerentia tui effecit? Obtinuit aliquis vt spectaculum pantomimorum populo Romano tolli pateretur, sed non obtinuit, vt vellet: rogatus es tu, quod cogebat alius, cœpítque esse beneficium quod necessitas fuerat. Neq; enim à te minore concentu, vt tolleres pantomimos, quàm à patre tuo, vt restitueret exactum est. Vtrunque rectè: nam & restitui oportebat, quos sustulerat malus princeps, & tolli restitutos. In his enim, quæ à malis bene fiunt hic tenendus est modus, vt appareat autorem displicuisse, non factum. Idem ergo populus ille aliquando scenici imperatoris spectator, & applausor, nunc in pantomimis quoque aduersatur, & damnat effœminatas artes, & indecora seculo studia. Ex quo manifestũ est principum disciplinam capere etiam vulgus, cum rem, si ab vno fiat, seuerissimam fecerint omnes. Macte hac grauitatis gloria Cæsar, qua consecutus es, vt quod antea vis, & imperium, nunc mores vocarentur. Castigauerunt vitia sua ipsi, qui castigari merebantur ijsdémque emendatores, qui emendandi fuerunt. Itaque nemo de seueritate tua queritur, & liberum est queri. Sed cum ita comparatum sit, vt de nullo minus principe querantur homines, quàm de quo maximè licet: tamen in seculo nihil est, quo non omne hominum genus lætetur, & gaudeat: boni prouehuntur: mali (qui est tranquillissimus status ciuitatis) nec timent, nec timentur. Vitiorum pœnitentiam expectas. Mederis erroribus, sed implorantibus, omnibúsque quos bonos facis, hanc adstruis laudem, ne coëgisse videaris.

COM

COMMENTARIVS.

Perge modò Cæsar.] *Adhortatio, in qua Plinius ostendit uitæ institutum Traiani optimam esse censuram.* Vita principis.[*Omnes enim in principis mores facilè incurrunt. Quales sunt rectores ciuitatis, tales & subditi esse solent.* Id *Cicero copiosè ostendit ad finem III. libri de legib.* Quàm exemplo.] *Exemplo enim grauius principes, quàm peccato nocent.* Quippe.] *Sic Cicero II. offic. Malos enim est custos diuturnitatis metus: contráq; beneuolentia fidelis est ad perpetuitatem.* Melius homines.] *Vnde Fabius Quintil. monet proponenda esse ad imitationem exempla Romanorum, & græcorum præcepta. Et Rodolphus Agricola: Præceptis aures imbuuntur, exempla oculos docent.* Obtinuit aliquis.] *Confert Traianum cum Nerone, Tyberio, Domitiano, qui omnes Pantominos exegerunt. Iulianus Iurisconsultus in l. si libertus. de oper. libert. De Pantomino hunc in modum scribit: si libertus artem Pantomini exerceat, uerum est eum debere non solùm ipsi patrono, sed etiam amicorum ludis gratuitam operam præbere, sicut eum quoque libertum, qui medicinam exercet, uerum est uoluntate patroni gratis curaturum amicos eius: neq; enim oportet patronum ut operis liberti sui utatur, aut ludos semper facere, aut ægrotare. Pantomini mores hominum corrumpebant, quos D. Augustinus in libro de Ciuitate Dei mirè exagitat.* Concentu.] *Conclamatione.* Malus princeps.] *Domitianus.* Tolli restitutos.] *A Traiano tanquam bono principe.* In his enim.] *Laconica sententia. Lacones enim bene dicta à peruersis hominibus, iterum à bonis dici iubebant, & tunc ea approbabant.* Scenici Imperatoris.] *Histrionis.* Seculo.] *Præsentibus moribus.* Ex quo manifestum.] *Concludit mores principis censuræ loco esse.* Macte.] *Cumulatior & auctior gloria.*

Grammat

Grammatici uolunt Macte, nomen compositum esse ex magis, & auctus. Mactare autem, unde & mactus, uerbum est sacrorum, authore Seruio. Antequàm hostiam immolabant, thus, aut uinum super eam infundebant, unde dicebatur hostia macta, id est, magis aucta. Cùm igitur aliquem ob rẽ bene cœptam laudamus, & ad perficiendam hortamur, dicimus macte animi, uel animo. Vitiorum pœnitentiam.] *Quæ tunc fit, cùm consilium mutatur. Est enim optimus portus pœnitentiæ mutatio consilij.* Ne coegisse videaris.] *Longè enim præstantius est, pudore, uel metu ad meliorem uitam populum reuocare, quàm pœnis.*

Quid vitam? quid mores iuuentutis, quàm principaliter formas? quem honorem dicẽdi magistris? quam dignitatem sapientiæ doctoribus habes? vt sub te spiritum & sanguinem, & patriam receperunt studia, quæ priorum temporum immanitas exilijs puniebat, cum sibi vitiorum omnium conscius princeps, inimicas vitijs artes non odio magis, quàm reuerentia relegaret? At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes: præstas enim quæcunque præcipiunt, tantúmque eas diligis, quantum ab illis probaris. An quisquam studia humanitatis professus, non cum omnia tua, tum vel in primis laudibus ferat admissionum tuarum facilitatem? Magno quidem animo parens tuus hanc ante hos principes arcem publicarum ædium nomine inscripserat, frustra tamen, nisi adoptasset, qui habitare, vt in publicis posset. Quàm bene cum titulo isto moribus tuis conuenit? quanquam omnia sic facis, tanquam nõ alius inscripserit. Quod enim forum, quæ templa tam reserata? non capitolium, ipsáque illa adoptionis tuæ sedes magis publica, magis omnium. Nullæ obices, nulli

contumeliarum gradus,ſuperatíſque iam mille liminibus vltra ſemper aliqua dura,& obſtantia.Magna ante te,magna poſt te,iuxta te tamen maxima quies,tantum vbique ſilentium,tam altus pudor,vt ad paruos penates,& larem anguſtum ex domo principis modeſtię & tranquillitatis exempla referantur.Ipſe autem vt excipis omneis,vt expectas,vt magnam partē dierum inter tot imperij curas,quaſi per otium tranſigis! Itaque non vt aliâs attoniti,nec vt periculum capitis adituri tarditate:ſed ſecuri,& hilares cum commodum eſt,conuenimus: & admittente principe interdum eſt aliquid, quod nos domi quaſi magis neceſſarium teneat, excuſati ſemper tibi,nec vnquā excuſandi ſumus.Scis enim ſibi quenque præſtare,quòd te videat,quòd te frequentet,ac tanto liberalius ac diutius voluptatis huius copiam præbes.

COMMENTARIVS.

Quid vitam.] *Laus Traiani à ſtudijs humanitatis,eiuſque in ſtudioſos fauore.* Principaliter formas.] *More & inſtar principis.* Quàm honorem.] *Quàm honorificum ſalarium.Vergil.*

Ipſis præcipuè ductoribus addit honorem.

Dicendi magiſtris.] *Rhetoribus, periphraſis eſt.* Sapientiæ doctoribus.] *Philoſophis.Celſus,Quintil.& alij excellentes ſub Traiano floruerunt.* Spiritum & ſanguinem.] *Studia reuocata recreatáq; ſunt.Alij principes & ſtudia & ſtudioſis in exilium relegarunt.* Immanitas.] *Feritas Tyrannorum.* In complexu.] *Omni amore ac indulgentia proſequeris.* Præſtas enim.] *Solida laus non ſolùm magnificè de uirtute loqui,ſed ei ſe excolendum præbere,ei morem gere*

gerere. Probaris.] *Laudaris.* An quiſquam.] *ἀπορία, continens laudem à facilitate.* Profeſſus.] *Eruditus,politus,excultus.* Tuarum admiſsionum.] *Te adeuntium. Sic Cicero in oratione pro l.Manil.Iam uerò ita facilis aditus ad eum priuatorum,ita liberæ querimoniæ de aliorum iniurijs eſſe dicuntur,ut is,qui ætate principis excellit, dignitate,facillitate,par infimis eſſe uideatur. Eadem humanitate & facilitate fuerunt Veſpaſianus,Ageſilaus.* Magno quidem animo.] *A iudicio Neruæ oſtendit Imperatoris palatium publicum eſſe ueluti ciuitatis oraculum.* Magno animo.] *Magnifico.* Hanc arcem.] *Palatium.* Inſcripſerat.] *Inſcriptionem fecerat.* Fruſtrà tamen.] *Niſi Traianus in Imperatorem adoptatus fuiſſet, & Palatium incoluiſſet, illud ciuibus tanquàm domus publica non patuiſſet.* Titulo iſto.] *Publicarum ædium.* Non alius inſcripſerat.] *Arcem nomine publicarum ædium.* Quod forum.] *Non magis forum aut Templa hominibus patent, quàm tuum palatium.* Non capitolium.] *Amplificatio à loco adoptionis.* Nullæ obices.] *Laus à facilitate adeundi.Sub alijs principibus ianitores,cubicularij, admiſſarij, ſecretarij, principem conſulere uolentes repellebant: At fores Traiani omnibus patebant.* Mille limitibus.] *Hoc ad malos principes referendum eſt.* Altus pudor.] *Magna uerecundia.* Larem anguſtum.] *Domicilium plebeiorum.* Lares dij domeſtici.] *Vnde Larariū apud Lampridium locus in domo, in quo Dij colebantur.* Exempla referantur.] *Deducantur in uſum priuatorum.* Tarditate.] *Non propterea pœnas luunt quia tardius te uiſunt.* Sibi præſtare.] *Sui commodi gratia facere.*

Nec ſalutationes tuas fuga,& vaſtitas ſequitur.Remoramur,reſiſtimus,vt in communi domo, quam nu-

per illa immanissima belua plurimo terrore munierat, cum velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum ciuium strages, cædésque proferret. Obseruabantur foribus horror & minæ, & par metus admissis, & exclusis. Ad hæc ipse occursu quoque visúque terribilis, superbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa, non adire quisquam, non alloqui audebat, tenebras semper, secretúmque captantem, nec vnquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi vt solitudinem faceret. Ille tamen, quibus sibi parietibus, & muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum, & insidias, & vltorem scelerum Deum inclusit, dimouit, perfregítque custodias pœna, angustósque per aditus & obstructos non secus ac per apertas fores, & inuitantia limina irrupit: longéque tunc illi diuinitas sua, longe arcana illa cubilia, sæuíque secessus, in quo timore, & superbia, & odio hominum agebatur. Quanto nunc tutior, quanto securior eadem domus? postquàm eius nõ crudelitatis, sed amoris excubijs: non solitudine & claustris, sed ciuium celebritate defenditur: & quid ergo? nos discimus experimento fidelissimam esse custodiam, principis ipsius innocentiam. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit: armis enim arma irritantur. Num autem ferias tantum parteis dierum in oculis nostris, cœtúque consumis? Num remissionibus tuis eadem frequentia, eadémque illa sociali tas interest? Nũ tibi semper in medio ciuibus, sempérque mensa communis? Num ex conuictu nostro mutua

tua voluptas? Num prouocas, reddísque sermones? Nũc ipsum tempus epularum tuarum, cum frugalitas contrahat, extendit humanitas? Num enim ante medium diem distentus solitaria cœna spectator, adnotatórque conuiuis tuis immines? nec ieiunis, & inanibus plenus ipse eructãs non tam apponis, quàm obijcis cibos, quos dedigneris attingere? ægréq; perpessus superbam illam conuictus simulationem, rursus te ad clandestinam ganeam, occultúmq; luxum refers? Ergo non aurum, nec argentum, nec exquisita ingenia cœnarum: sed suauitatem tuam, iucunditatémque miramur, quibus nulla satietas adest, quando syncera omnia, & vera, & ornata grauitate. Neque enim aut peregrinæ superstitionis mysteria, aut obscœna petulantia mensis principis oberrat: sed benigna inuitatio, & liberales ioci, & studiorum honor. Inde tibi parcus, & breuis somnus, nullúmque amore nostri angustius tempus, quàm quod sine nobis agis.

COMMENTARIVS.

Salutationes tuas.] *Sed hæres unusquisque in tuo sermone quandiu uult.* Notat Domitianum & Tyberium, *qui sese abdebant, & conspectum hominum fugitabant.* Immanissima belua.] Domitianus *crudelissimus.* Munierat.] *Inaccessam fecerat.* Est *imago, hoc est, formæ cum forma collatio.* Strages cædésque.] *Instar ferarum. Strages sunt, quibus sternimus: cædes, quibus uulneramur uel interficimur.* Obuersabatur foribus.] *Similis descriptio est uestibuli inferorum,* v 1. *lib.* Aeneid. Superbia in fronte.] Μεριστικός. *Distributio, qua graphicè* Domitianum *depingit.* Solitudinem faceret.] *Quia ipso prodeunte omnes se in fu-*

gam conijciebant. Ille tamen.] *Similis est luculenta descriptio Dionysij Tyranni Syracusani apud Ciceronem v. Tusculana.* Deum inclusit.] *Magnum suum Iouem.* Custodias pœna.] *Satellites carceris.* Timore.] *Vide Suetonium Tranquillum cap.xiii. in Domitiano.* Quantò nunc.] *Ἀντίθεσις qua ad Traianũ redit.* Eius non crudelitatis.] *De Domitiani crudelitate scribit Trãquillus cap.xi. in Domitiano.* Amoris excubijs.] *Vigilijs. Excubiæ tam dierum, quàm noctium sunt: uigiliæ noctium tantùm.* Fidissimam custodiam.] *Custodia, est ipse carcer, ipsi custodes, & incarcerati.* Terrore succinxerit.] *Egregia sententia, charitas est inexpugnabile munimentum. Hunc locum Cicero elegãter expressit lib.ii. Offic. capite, Rerũ autem omnium. Et secunda Philippica: charitate & beneuolentia ciuium septum esse oportet, non armis. prima Philippica, charum esse ciuibus bene de Republ. mereri, coli, diligi gloriosum est: metui uerò & in odio esse, inuidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Sallustius in Iugurthino bello, in oratione Misipsæ: Non exercitus, nec thesauri præsidia regni sunt, uerùm amici, quos neque armis cogere, nec auro parare queas, officio & fide parantur. Idem Cyrus apud Zenophontem, moriturus.* Nam autem.] *ἐπαναφορά. Num aliôqui desiderat responsionem negatiuam: hîc tamen affirmatiuam habet.* In medio cibus.] *Lacedæmonij publicè conuiuari solebant, ex Lycurgi instituto, ut frugalitatem seruarent. Idem Plato lib.vi. de legibus monet.* Ante medium diem.] *A' frugalitate laus.* Distentus.] *Plenus.* Solitaria cœna.] *Prandio solitario, quod solum sumitur. Vulgo persuasum est, prandium id esse, quod meridie sumitur: cœnam id quod uesperi. Sed id perpetuum non est. Nam cœna pro prandio sumitur.* Ganeam.] *Gulosorum diuersorium.* Exquisita ingenia cœnarum.] *Exquisitas inuentiones.* Mysteria.] *Romani exosas semper habuerunt externas ceremonias, & religiones.* Studiorum honor.] *Ingeniorum, scriptorum.* Inde.] *Ex frugalitate, parcus & breuis somnus. Plato libro de legibus vii. Docet uigilare, esse causam longæ uitæ & sapientiæ. Et eum, qui dormit, nullius esse pretij, non magis, quàm si non uiueret.*

Sed cùm rebus tuis vt participes perfruamur, quæ habemus ipsi, quàm propria, quàm nostra sunt? Non enim exturbatis prioribus dominis, omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum immensa possessione circumuenis, nec vnius oculis flumina, fonteis, maria deseruiunt. Ecquid Cæsar non suum videat? tandémque imperium principis, quàm patrimonium maius est? Multa enim ex patrimonio refert in imperium, quæ priores principes occupabant, non vt ipsi fruerentur, sed ne quis alius. Ergo in vestigia, sedésque nobilium immigrant pares domini, nec iam clarissimorum virorum receptacula habitatore seruo teruntur, aut fœda vastitate procumbunt. Datur intueri pulcherrimas ædeis deterso situ auctas, ac vigenteis. Magnum hoc tuum non erga homines modò, sed erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera, eodem quo extructa sunt animo, ab interitu vendicare: muta quidem illa, & anima carentia: sentire tamẽ & lætari videntur, quòd niteant, quòd frequententur, quòd aliquando cœperint esse domini non seruientis. Circumfertur sub nomine Cæsaris tabula ingens rerum venalium, quòd sit detestanda auaritia illius, qui tam multa cõcupiscebat, cum haberet superuacua tam multa; tamen exitialis erat apud principem, huic laxior

domus, illi amœnior villa. Nunc princeps in hæc eadẽ dominos quærit, ipse inducit: ipsos illos magni aliquando imperatoris hortos, illud nũquam nisi Cæsaris suburbanum, licemur, emimus, implemus. Tanta benignitas principis, tanta securitas temporum est, vt ille nos principalibus rebus existimet dignos: nos non timeamus, quòd digni esse videmur. Nec verò emendi tantùm ciuibus tuis copiam præbes, sed amœnissima quæque largiris, & donas: ita inquam donas, in quę electus, in quæ adoptatus es, transfers, quod iudicio accepisti: ac nihil magis tuum credis, quàm quod per amicos habes. Idem tam parcus in in ędificando, quàm diligens in tuendo. Itaque non vt antè immanium transuectione saxorum vrbis tecta quatiuntur. Stant securæ domus, nec iam templa nutantia. Satis est tibi, nimiúmque cum successeris frugalissimo principi, magis reijcere aliquid, & amputare ex ijs, quæ princeps tanquam necessaria reliquit. Præterea, pater tuus vsibus suis detrahebat, quæ fortuna imperij dederat, tutius quòd pater. At quàm magnificus in publicum es? hinc porticus, inde delubra occulta celeritate properantur, vt non consummata, sed tantum commutata videantur. Hinc immensum latus circi templorum pulchritudinẽ prouocat, digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa visenda, quàm quæ ex illa spectabuntur: visenda autem cùm cætera specie, tùm quòd ęquatus plebis, ac principis locus. Siquidem per omne spatium vna facies, omnia continua & patria, nec magis proprius spectandi Cæsaris suggestus, quàm propria quæ spectet. Licebit ergo te ciuibus tuis inuicem contueri: dabitur non cubiculum principis, sed ipsum principem cernere in pub

in publico, in populo sedentem, populo, cui locorum quinq; milia adiecisti. Auxeras enim numerum eius, congiarij facilitate, maiorémque in posterum suscipi liberalitatis tuæ fide iusseras. Horum vnum si præstitisset alius, illi iandudum radiatum caput, & media inter deos sedes auro staret, aut ebore: augustioribúsque aris, & grandioribus victimis inuocaretur. Tu delubra non nisi adoraturus intras: tibi maximus honor excubare pro templis, postibúsque prætexi. Sic fit, vt dei summũ inter homines fastigium seruent, cum deorum ipse non adeptus. Itaq; tuam statuam in vestibulo Iouis Opti. Maxi. vnam, alterámve, & hanc æream cernimus. At paulò antè aditus omnes, omnes gradus, totáque area hinc auro, hinc argento relucebat, seu potius polluebatur, cum incesti principis statuis permista deorum simulachra forderent.

COMMENTARIVS.

Rebus tuis.] *Laus Traiani à bonorum suorum communione, & conuersatione subditorum.* Nec vnius oculis.] *Neronem notat.* Datur intueri.] *Laus ab ædificijs instauratis.* Sentire tamen.] *Species prosopopœiæ.* Cæsaris.] *Traiani.* Huic laxior domus.] *Alicui magnificentior.* Illi amœnior villa.] *Alteri, huic, & illi, hoc loco indefinita sunt. Vt apud Demosthenem τὸν ἀλῆνα.* Exitialis.] *Quæ exitium attulit. Sic Nero ob hanc potißimam causam Senecam è medio tulit, quòd Seneca ampliores ædes haberet.* Nunc princeps.] *Traianus illa sumptuosa ædificia Tyrannorum, publicis usibus accommodauit.* Inducit.] *Inuestit.* Magni Imperatoris.] *Neronis. εἰρωνικῶς.* Principalibus.] *Principis.* Nunc verò.] *Facilior erit lectio, nec ue*

rò. Iudicio accepisti.] *Prudentia Neruæ.* Idem tam parcus.] *Transitio ad frugalitatem modestiámq; laudãdam, qua Traianus usus est in ædificijs, Templis, spectaculis ædificandis & tuendis.* In ædificando.] *In proprijs ædificijs extruendis. Qua in re Nero, Claudius, Domitianus modum excesserunt.* Nutantia.] *Vacillantia, titubantia.* Tutius quod pater.] *Quia tu tanquàm probus filius non reuocabis alienata à patre.* Magnificus.] *Magnos facis sumptus in Respublicas.* Occulta celeritate.] *Subito.* Latus circi.] *Theatri. A circo dicti sunt Circenses ludi, certaminis curulis genus in honorem Consi, Dei consiliorum.* Populo victore gentium.] *Romano populo. Circuitio est. Nullus sanè populus tam longè latéq; imperij fines protulit, atq; Romanus.* Aequatus locus.] *Honore par. Inter spectatores hic ordo seruabatur. In circo seu theatro principes in uno loco sedebãt, supra hos senatores, supra senatores, patritij. Deinde in loco æditiori plebeij.* Horum vnum.] *Clausula transitionis & ueluti conclusio.* Radiatum.] *Radijs distinctum solaribus.* Augustioribus.] *Honorabilioribus, uenerabilioribus.* Media inter Deos.] *Ad Domitianum hoc referẽdum est, qui aureas & argenteas statuas sibi in Capitolio erigendas curauit.* Excubare pro templis.] *Vigilijs & satellitio templa tueri.* Prætexti.] *Obijci, præponi, defendi.* Sic fit.] *Summum honoris fastigium Traianus Dijs tribuit. Ipse enim se pro Deo coli non sinit.* Tuam statuam.] *Statuarum gloriam ualde aspernatus est Traianus. præclarius enim esse existimauit, quærere cur ei statua posita non esset, quàm cur esset: sentiens rerum gestarum gloriam omnibus statuis multò esse præclariorem.* Aeneam cerninus.] *Extenuatio est à materia.* Aditus omnes.] *Templi Iouis.* Omnes gradus.] *Nam Capitolium centum gradibus authore Tacito ascendebatur.* Seu potius.] *Correctio est.* Polluebatur.] *Contaminabatur.* Incesti principis.] *Domitiani. Incestus flagitium quod cum ea committitur, cum qua non erat futurum legitimum matrimonium. l. si adulterium ad l. Iul. de adult.*

Ergo istæ quidem æreæ, & paucæ manent, manebúntque quandiu templum ipsum: illæ autem aureæ & innumerabiles, strage & ruina publico gaudio litauerunt. Iuuabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sæuire securibus, vt si singulos ictus sanguis dolórque sequeretur. Nemo tam temperans gaudij, seræq; lætitiæ, quin instar vltionis videretur cernere laceros artus, truncata membra, postremò truces, horrendásque imagines, abiectas, excoctásque flammis, vt ex illo terrore, & minis in vsum hominum, ac voluptates ignibus mutarentur. Simili reuerentia Cæsar non apud genium tuum bonitati tuæ gratias agi, sed apud numen Iouis Opti. Maxi. pateris. Illi debere nos, quicquid tibi debeamus: illius, quod bene facias, muneris esse, qui te dedit. Ante quidem ingenteis hostiarum greges per capitolium iter magna sui parte velut intercepti diuertere via cogebantur, cum sæuissimi domini atrocissima effigies tanto victimarum cruore coleretur, quantum ipse humani sanguinis profundebat.

COMMENTARIVS.

Ergo iste.] *Confert Traiani statuas cum statuis aliorum.* Ille autem aureæ.] *Domitiano extincto, omnes in Domitiani statuas tanquàm in ipsum Domitianum sæuierunt, diruerunt, sõlo illiserunt, penitus concusserunt. Tantum odiũ Domitianus ob illas superbas statuas sibi apud posteros conflauit.*

flauit. Ergo Traiani *memoriam nulla delebit obliuio, sed omnium linguis, literis, monimentis celebrabitur.* Domitiani *uerò æterna obliuione sepulta iacebit.* Litauerunt.] *Satisfeceruut, expiatæ sunt. Est autem litare, sacrificio facto, numen placare: sacrificare, est ueniam petere.* Iuuabat illidere.] *Amplificatio à gaudio, quo populus perfundebatur, cùm* Domitiani *statuas quidam dirucrent. Sic hodie statuæ quorundam reorum ueluti ipsi rei exuruntur.* Genium tuum.] *Præstitem, præsidem naturæ tuæ: omnes loci, singuli homines genium aliquem habent. Principum genij duobus serpentibus pingebantur.* Per *genium principis, peierare non licebat. Cuius rei testimonium extat apud* Vlpianum *l. si duo. §. si quis iurauerit. ff. de iureiurando.* Bonus *genius græcè dicitur,* ἀγαθὸς θεὸς: *homo hunc habens,* εὐδαίμων *dicitur.* Malum *genium* Terentius *iratum* Deum *uocat.* Illi debere.] *Si ad* Deum *opt.* Max. *hæc sententia referatur, ea nihil est christianius: à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.*

Omnia patres C. quæ de alijs principibus à me aut dicuntur, aut dicta sunt, eò pertinent, vt ostēdam quàm longa consuetudine corruptos, deprauatósque mores principatus parens noster reformet, & corrigat: alioqui nihil non parum gratè sine comparatione laudatur. Præterea hoc primum erga optimum imperatorem piorum ciuium officium est, insequi dissimileis: neque enim satis amarint bonos principes, qui malos satis non oderint. Adijce, quòd imperatoris nostri non aliud amplius, ac diffusius meritū est, quàm quòd insectari malos principes tutum est. An excidit dolori nostro modo vindicatus Nero? permitteret credo famam, vitámque eius carpi, qui mortem vlciscebatur? nec vt in se dicta interpretaretur, quæ de similimo dicerentur? Quare ego

ego te Cæsar muneribus omnibus tuis, omnibus compaparo, multis antepono: quòd licet nobis & in præteritū de malis imperatoribus quotidie vindicari, & futuros sub exemplo præmonere, nullum locum, nullum esse tempus, quod funestorum principum manes à posterorum execrationibus conquiescant. Quo constantius Patres C. & dolortes nostros, & gaudia proferamus, lætemur ijs quibus fruimur, ingemiscamus illis quæ patiebamur. Simul vtrunque faciendum est sub bono principe. Hoc secreta nostra, hoc sermones, hoc ipsę gratiarum actiones agunt. Meminerintque sic maxime laudari incolumem imperatorem, si priores secus meriti reprehendantur. Nam cum de malo principe posteri tacent, manifestum est eadem facere pręsentem. Et quis iam locus miseræ adulationis manebat? cum laudes imperatorum ludis etiam, & comessationibus celebrarentur, saltarentúrque, atque in omne ludibrium effœminatis vocibus, modis, gestibus frangerentur? sed illud indignum, quòd eodem tempore in senatu, & in scena ab histrione, & à consule laudabantur. Tu procul à tui cultu ludicras artes remouisti. Seria ergo te carmiua, honórque æternus annalium, non hæc breuis, & pudenda prædicatio colit: quinetiam tanto maiore consensu in venerationem tui theatra ipsa consurgent, quanto magis de te scenæ silebunt.

COMMENTARIVS.

Omnia patres conscripti.] *Admonitio sui instituti, cur Traianum alijs conferat principibus. Oppositione enim contrariorum oratio fit illustrior.* Aliôquin.] *Comparatio dominatur in genere* Demonstratiuo. Id *Aristote. 1. ad Theodecten*

decen capite de genere demonstratiuo docet. Insequi dissimiles.] *Insectari malos.* Neque enim satis.] *Epiphonema cum enthymemate ex contrarijs.* Insectari.] *Conuitijs proscindere.* Dolori nostro.] *An uenit in obliuionem doloris nostri.* Vindicatus Nero.] *Vltus, quasi dicat, minimé. Quia cui debet meminit, cui placet obliuiscitur. Dion hoc refert ad Domitianum. Qui necauit Epaphroditum Neronis libertum, eò quòd is Neronem cum se ictu gladij traiecisset, iuuisset, ne liberti Domitiani idem tentarent. Aurelius uictor, id de spadone sporo scribit.* Permitteret.] *Domitianus.* Nec vt.] *Domitianus non permitteret, ut dicta in Neronem de se dicerẽtur. Plinius igitur hoc loco exemplum adfert, quo sceleratus princeps Domitianus, sceleratum principem Neronem ultus est.* Quare ego.] *Conclusio huius loci, qua ostendit Traianum æquasse omnium principum muncra, multorum uerò superasse. Munus significat donum, onus, officium. Paulus Iuriscõsultus in l. inter donum. Et Martianus in l. munus. de uerb. signific.* In præteritum.] *De rebus præteritis.* Vindicari.] *Vindicta frui.* Sub exemplo.] *Per exemplum.* Funestorũ.] *Sceleratorum.* Execrationibus.] *Conuitijs, maledictis.* Quò constantius.] *Ob bona præsentia lætandum, ob mala præterita ingemiscendum.* Simul vtrunque.] *Lætari ob bona, & dolere ob aduersa.* Secreta nostra.] *Repetitio, & ἐπιμονή.* Nam cum.] *Sententia præclara.* Et quis locus.] *Temporibus Domitiani adulatio tam longè processerat, ut ei penè locus nullus relinqueretur: omnia enim in ludis, comessationibus Imperatorum laudibus perstrepebant.* Comessationibus.] *Comessationes sunt propriæ compotationes à cœna in multam noctem productæ.* Sed illud indignum.] *Τὸ παρέπορ, quo in uita nihil est laudabilius, in laudibus principum non seruab*

seruabatur. Nam eodem loco & tempore, simul à consule & histrione laudari uelle, ineptum est. Tui cultu.] *Tuis honoribus.* Seria carmina.] *Hoc est, sacræ uerborum formulæ, & rituales uoces. Sic apud Liuium lib. j. lex horrendi carminis erat. Apud ueteres Iurisconsultos, carmen erat formulæ cõceptis uerbis ad solennitatem expressa, A' qua ne latũ quidẽ unguem discedere licebat. Cuius rei Cice. meminit in oratione pro Murena.* Annalium.] *Annales à summo pontifice singulis annis componebantur. Idem dicuntur fasti, nunc Chronica. Videndus est Aulus Gellius lib. v. cap. xviii.* Pudenda.] *Scenica, lasciua.* Ipsa theatra.] *Ipsi spectatores omnes simul.* Scenæ.] *Actiones scenicæ, histriones.*

Sed quid ego istud admiror? cum eos quoque honores, qui tibi à nobis offeruntur, aut delibare parcissimè, aut omnino soleas recusare. Nihil antè tam vulgare, tam parum in senatu agebatur, vt non laudibus principum immoraretur, quibuscunque censendi necessitas accidisset. De ampliando numero gladiatorum, aut de instituendo collegio fabrorum consulebamur, & quasi prolatis imperij finibus nunc ingenteis arcus, excessuróſq; templorum fastigium titulos, nunc menseis etiam, nec hos singulos, nomini Cæsarum dicabamus, patiebantur illi, & quasi meruissent, lætabantur. At nunc quis nostrum tanquam oblitus eius, de quo refertur, censendi officiũ principis honore consumunt? Tuæ moderationis hæc laus, cõstantia nostra, & tibi obsequimur, quòd in curiam non ad certamẽ adulationũ, sed ad vsum, munúſq; iustitiæ cõuenimus: hanc simplicitati tuæ, veritatíſq; gratiã relaturi, vt te, quæ vis velle, quę nõ vis, nolle credamus. Incipimus inde

inde,definimus ibi,à quo incipi,in quo defini ſub alio principe non poſſet:nam pleroſque ex decretis honoribus & alij non receperunt:nemo antè tantus fuit,vt crederetur noluiſſe decerni. Quod ego titulis omnibus ſpecioſius reor,quando non trabibus,aut ſaxis nomẽ tuũ, ſed monumentis æternæ laudis inciditur. Ibit in ſecula fuiſſe principem,cui florenti,& incolumi nunquam niſi modici honores,ſæpius nulli decernerentur. Et ſanè ſi velimus cum priorum temporum neceſsitate certare, vincemur. Ingenioſior eſt enim ad excogitãdum ſimulatio veritate,ſeruitus libertate,metus amore. Simul cũ iam pridem nouitas omnis adulatione conſumpta ſit, non alius erga te nouus honor ſupereſt,quàm ſi aliquãdo de te tacere audeamus.

COMMENTARIVS.

Sed quid.] *Occupatio.* Delibare parciſsimè.] *Leuiter attingere. Metaphora ſumpta à prægustantibus cibum.* Cenſendi neceſsitas.] *Sententiæ dicẽdæ. Cenſere,hoc loco, ſententiam dicere eſt. Iabolenus.l.cenſere.de uerb.ſignific. Cenſere eſt conſtituere,& præcipere. Vnde etiam dicere ſolemus, cenſeo,ut hoc facias,& ſenatum aliquid cenſuiſſe. Inde Cenſoris nomen uidetur eſſe tractum.* De ampliando.] *Alij principes honores,quos non promeruerunt, arroganter ſuperbéq; ſibi uendicabant. Traianus etiã honores promeritos modeſtè recuſabat.* Numero gladiatorum.] *Hic enim certus erat, ut Tranquillus in Iulio Cæſare docet.* Inſtituendo collegio.] *Inſtituebantur collegia fabrorum ad machinas bellicas conficiendas, & ad incendia arcenda.* Prolatis imperij finibus.] *Extenſis, dilatatis. Cùm iam quaſi Germania & Dacia Romano imperio ſubiecta eſſet.*

Menſes

Menſes etiam.] *Domitianus, cùm Germanici cognomen aſſumpſiſſet, Septembrem & Octobrem, Germanicum & Domitianum uocauit. Et Iulius Cæſar, Quintilem, Iulium: Auguſtus Cæſar, Sextilem Auguſtum uocauit.* Refertur.] *Conſulitur.* Cenſendi officium.] *Sententiæ dicendæ.* Principis honore.] *In laudibus principis.* Conſumunt.] *Antiquitus quis,& eius compoſita genere tam maſculino, quàm fœminino,& in utroque numero uſurpabant. Vlpianus.l.j. de uerbor.ſignific. Verbum hoc ſi quis,tam maſculos, quàm fœminas complectitur.* Tuæ moderationis.] *Traianus laudem non uenatur,& ſenatoribus libera eſt cenſendi poteſtas.* Gratiam relaturi.] *Agimus gratias uerbis, habemus animo, referimus factis. Boni & claßici authores frequentius ſic loquuntur, Ago gratias, non gratiam, habeo & refero gratiam. Lauren. Vall. lib. v. cap. x l i.* Incipimus inde.] *Sub optimo principe magna libertas fuit in ſenatu ſententiæ dicendæ. Nam & à re dicere incipiebant, & de eadem orationem terminabãt. At ſub malis principibus de laudibus principis perorandum erat.* Incipimus inde.] *Sententiam dicere.* Nemo poſſet.] *Quia laudibus malorum principum, immorandum erat.* Pleroſque.] *Honores.* Ex honoribus decretis.] *A' ſenatu.* Decerni.] *Sibi honores.* Quod ego.] *Longè eſt ſpecioſius memoriam ob præclaras res geſtas ad poſteros durare, quàm recipere honores, nullo trabali clauo fixos.* Monimẽtis æternæ laudis.] *Præclaris præclarorum uirorum ſcriptis.* Ibit in ſecula.] *Peruagabitur in multas ætates.* Ingenioſior.] *Sententia per articulum.* Simul cum.] *Omnes honores noui, qui per adulationem excogitari potuerunt, apud Tyrannos conſumpti ſunt, de honoribus ergo Traiani honorificentißimum erat tacere.*

Agè ſi quando pietas noſtra ſilentium rupit, & ve-

K recund

recundiam tuam vicit, quæ, qualiáque decernimus nos, tu non recusas, vt appareat non superbia, & fastidio te amplissimos honores repudiare, qui minores non dedigneris. Pulchrius hos Cæsar, quàm si recusares omneis: nam recusare omneis, ambitionis: moderationis est, eligere parcissimos. Quo temperamento & nobis, & ærario prodes, quòd sumptibus eius adhibes modum, & qui exhaustum non sis innocentium bonis repleturus. Stāt igitur effigies tuæ, qualeis olim ob egregia in Rēp. merita priuatis dicabantur. Visuntur eadem è materia Cæsaris statuę, qua Brutorum, qua Camillorum. Nec discrepat causa: illi enim reges, hostémque victorem mœnibus depulerunt, hic regnum ipsum, quæ'que alia captiuitas gignit, arcet, ac submouet, sedémque obtinet principis, ne sit domino locus. ac mihi intuenti sapientiā tuam, minus mirum videtur, quòd mortales istos, caducósque titulos aut depreceris, aut temperes. Scis enim vbi vera principis, vbi sempiterna sit gloria: vbi sint honores, in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. Arcus enim, & statuas, aras etiam, templáque demolitur, & obscurat obliuio, negligit, carpítq; posteritas: contrà contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor, ac frænator animus, ipsa vetustate florescit, nec ab vllis magis laudatur, quàm quibus minimè necesse est. Præterea vt quisque factus est princeps extemplo fama eius, incertum bona an mala, cæterum æterna est. Non ergo perpetua principi fama, quæ inuitum manet, sed bona concupiscenda est: ea porrò non imaginibus & statuis, sed virtute ac meritis prorogatur. Quinetiam leuiora hæc formam principis, figurámque, non aurum melius, vel argentū, quàm fauor

fauor hominum exprimat, teneátque: quod quidem prolixe tibi cumulatéque contingit, cuius lætissima facies & amabilis vultus in omnium ciuium ore, oculis, animo sedet.

COMMENTARIVS.

Age si quando.] *Præ impotentia tacendi in uocem erumpit.* Silentium rupit.] *Præ impotentia in uocem prorupit.* Rumpere uocem idem. Vergil. 11. Aeneid.

Composito rumpit uocem & me destinat aræ.

Qualiáq;.] *Qualiacunque.* Non dedigneris.] *Non auersis.* Eligere parcissimos.] *Minimè sumptuosos.* Quo temperamento.] *Qua modestia, moderatione.* Laus Traiani, *quòd ærarium (ut cæteri) non expilet.* Stant igitur.] *Confert statuas* Traiani, *statuis* Brutorum *&* Camillorum. *Merita* Traiani, *æquant merita* Brutorum, *&* Camillorum: *hi enim hostem à mœnibus depulerunt, ille omnium hostium teterrimum,* Tyrannidem *exturbauit.* Brutorum.] *Tres fuêre* Bruti. L. Iunius Brutus, *qui* Reges *expulit;* M. Brutus, *qui princeps extitit coniurationis* Cæsaris, Decius Brutus *qui* M. Antonium *oppugnauit.* Videndus Plutarchus *in uita* M. Bruti. Et Plinius *lib.* XXIII. Camillorum.] M. Furius Camillus *bis* Romam *seruauit.* Regnum.] *Ipsam* Tyrannidem. Domino.] Tyranno. Ac mihi.] Laus *à sapientia* Traiani, *quæ caducos & mortales deprecatur titulos.* Arcus etiam.] *Sic* Cicero *pro* M. Marcello: *Nihil enim est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat uetustas.* Cicero *quoque* IX. Philippica *huius meminit.* Leuiora hæc.] *Fortunæ blandimēta.* Formam principis.] *Formam ad magnitudinem, crassitiem, corpulentiam,* Figuram *ad delineationem, pulchritudinem referendam esse*

plerique uolunt. Vultus, figuræ est species. Ea porrò.] *Huius non immemor Agesilaus moriens mandauit ijs, qui aderant, ne quam fictilem, aut aliâs imitatam corporis imaginem facerẽt. Si quod, inquit, præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei: sin minus, ne omnes quidem statuæ, cùm sint uilium ac nullius rei opificum opera, illustrabunt mei memoriam. Quis nõ miretur in bellatore pectus tam philosophicũ?*

Adnotasse vos credo Patres c.iandudum me non eligere, quæ referam: propositum est enim mihi principem laudare, non principis facta. Nam laudabilia multa etiam mali faciunt, ipse laudari nisi optimus non potest. Quare non alia maior imperator Angustè gloria tua, quàm quòd agentibus tibi gratias nihil velandũ est, nihil omittendum est. Quid est enim in principatu tuo, quod cuiusquam prædicatio vel transilire, vel præteruehi debeat? quod momentum, quod imò temporis pũctum, aut beneficio sterile, aut vacuum laude? num omnia eiusmodi, vt is optimè te laudasse videatur, qui narrauerit fidelissimè? Quo fit, vt propè in immensum diffundatur oratio mea, & necdum de biennio loquor. Quàm multa dixi de moderatione, & quanto plura adhuc restant, vt illud, quòd secundum consulatum recepisti, quia princeps & pater deferebat. At postquàm ad te imperij summam, & cum omnium rerum, tum etiam tui potestatem dij transtulerint, tertium consulatum recusasti, cum agere tam bonum consulem posses. Magnum est differre honorem, gloriam maius. Gestũ consulatum, mirer, an non receptum? Gestus nõ in hoc vrbis otio, & intimo sinu pacis, sed iuxta barbaras genteis, vt illi solebant, quibus erat moris plaudamento mutare prætextam, ignotâsque terras victoria sequi. Pulchrum

chrum imperium, gloriosum tibi, cum te socij, atq; amici sua in patria, suis in sedibus adierunt. Decora facies consulis, multa post secula Consuli tribunal viridi cespite extructum, nec fascium tantum, sed pilorũ, signorúmque honore circundatum: augebant maiestatem præsidentis diuersi postulantium habitus, ac dissonæ voces, raráque sine interprete oratio.

COMMENTARIVS.

Adnotasse.] *Animaduertisse.* Non eligere.] *Iudicio excerpere.* Non principis facta.] *Hic adnotare, studiosi debent Scriptores rerum, iudicio legendos esse. Nam Liuius, Sallustius, Tacitus, dicta factáque scribunt, Suetonius Plutarchus, Lampridius, uitas, hoc est, ingenia, dotes animi, & corporis.* Nam laudanda.] *Sententia.* Ipse laudari.] *Solus optimus uerè laudatur. Is enim est, qui cumulatè uirtute ornatus est: hæc autem est, quæ sola laudem meretur.* Nihil est velandum.] *Velis quibusdam tanquàm flagitiosum tegendũ.* Quod momentũ.] *Ab aßidua Traiani liberalitate laus.* Narrauerit fidelissimè]. *Cũ summa fide, ueritate, reiecta omni adulatione.* In immẽsum diffundatur.] *Dilatetur extẽdatur.* De biennio.] *Rebus binio à Traiano gestis.* Quod secundum consulatum.] *Laus ab eodem honore iterato. Huius secundi consulatus meminit Cornelius Tacitus in libello de moribus Germanorum.* At postquàm.] *Diuinitus Traianum Imperatorem esse factum significat.* Agere tam bonum consulem.] *Tam probè consulatum administrare.* Differre honorem.] *Magistratum.* Gloriam.] *Quæ est frequens fama cum laude.* Gestum consulatum.] ἀπορία. Vrbis otio.] *Amplificatio à difficillimis temporibus, quibus Traianus consulatum gessit.*

Siue pacis.] *Receptaculo.* Illi.] *Veteres principes, consules.* Mutare prætextam.] *Togam insigni ac ornamento Imperatorio.* Pulchrum imperio.] *Laus Traiani, quòd ius humanissimè & exactissimè socijs dixerit.* Gloriosum.] *Laudabile.* Socij.] *Qui communia fœdera habent.* Adierunt.] *Vt ius diceres.* Decora facies.] *Honesta species.* Viridi cespite.] *Terra herbida.* Fascium.] *Securium lictorum.* Præsidentis.] *Consulis.* Postulantium.] *Iura petentium.*

Magnificum est ciuibus iura, quid hostibus reddere? speciosum certam fori pacem, quid immanes campos sella curuli, victorísque vestigio premere? imminere minacibus ripis tutum quietúmque, quid spernere barbaros fremitus? hostilémque terrorem non armorũ magis, quàm togarum ostentatione compescere? Itaq; non te apud imagines, sed ipsum pręsentem, audientémque consalutabant Imperatorem: noménque, quod alij domitis hostibus, tu contemptis merebare. Hæc laus acti consulatus, illa dilati, quòd adhuc initio principatus, vt iam exatiatus honoribus, & expletus consulatum recusasti, quem noui Imperatores destinatum alijs in se transferebant. Fuit etiam qui in principatus sui fine consulatum, quem dederat ipse magna ex parte iam gestum extorqueret, & raperet. Hoc ergo honore, quem & incipientes principes, & desinentes adeò concupiscunt, vt auferant: tu otioso, ac vacante priuatis cessisti. Inuidiosúsne erat aut tibi tertius consulatus, aut principi primus? Nam secũdum Imperator quidem sub Imp. tamen inisti: nihilque imputari in eo vel honori potest, vel exemplo, nisi obsequiũ. Ita verò quæ ciuitas quinquies, atque etiam sexies consules vidit, nõ illos

illos qui expirante iam libertate per vim, ac tumultum creabantur: sed quibus sepositis, & absentibus in rura sua consulatus ferebantur: in hac ciuitate tertium consulatum princeps generis humani vt pergrauem recusasti? Tãtóne Papyrius etiam & Quintus moderatior? Augustus & Cæsar & Pater patriæ? At illos Resp. ciebat. Quid te non eadem Resp. non Senatus? non consulatus ipse? qui sibi tuis humeris attolli, & augescere videtur? Non te ad exemplar eius voco, qui continuis consulatibus fecerat longum quendam, & sine discrimine annum: ijs te confero, quos certum est, quoties consules fuerunt, non sibi præstitisse. Erat in senatu ter consul, cum tu tertium consulatum recusabas.

COMMENTARIVS.

Magnificum est.] *Amplificatio per contrarium.* Pacem.] *Obtinere.* Immanes campos.] *Quàm est speciosum obtinere?* Sella curuli.] *Qua maiores Magistratus utebantur, ut prætores, consules.* Togarum ostentatione.] *Qua in pace utebantur.* Noménq;.] *Imperatoris.* Hæc laus.] *Transitio.* Fuit etiam.] *Domitianum significare uidetur, qui Acilium Glabrionem Traiani in consulatu collegam in fine sui imperij interficit.* Otioso ac vacante.] *Cùm nemo consulatu fungeretur.* Inuidiosusne.] *An inuidiam tibi peperit?* Quinquies.] *Id de Q. Max. Fab. Liuius scribit.* Sexies.] *Vt M. Valerius Coruinus.* In rura sua.] *Cincinnatum indicat, quem agrum suum colentem, legati Romani dictatorẽ consalutauerunt. Valerius lib. IIII. cap. IIII. Et Serrano delatus est consulatus ruri.* Tantóne.] *Ab exemplis Traiani laudem admirabiliorem facit.*

Ad exemplar.] *Similitudinem, comparationem.* Continuis consulatibus.] *Sine interuallo.* Longum annũ.] *Decennalem, aut quindecim annorum spatium.* Notat *eos* Plinius, *qui sui commodi causa multos annos consulatum perpetuabant.* Non sibi præstitiste.] *Sed patriæ consuluisse.* Erat in senatu ter consul.] *Virginius rufus.*

Onerosum nescio quid verecundiæ tuæ consensus noster indixerat, vt princeps toties consul esses, quoties senator tuus nimia modestia, istud etiam priuatus recusasses. An consularis viri, triumphalísque filius cum tertiò consul creatur, ascendit, non debitum hoc illi, nõ vel sola generis claritate promeritum? Contigit ergo priuatis aperire annũ, fastósque reserare: & hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quòd consul alius quàm Cæsar esset. Sic exactis regibus, cœpit liber annus. Sic olim seruitus pulsa, priuata fastis nomina induxit: miseros ambitionis, qui ita consules semper, vt semper principes erant: quanquã non ambitio magis, quàm liuor & malignitas videri potest, omneis annos possidere: summúmque illud purpuræ decus non nisi præceptum, præfloratúmque transmittere. Tuam verò magnanimitatem, an modestiam, an benignitatem prius mirer? Magnanimitas fuit expetito semper honore abstinere, modestia cedere, benignitas per alios frui. Sed iam tempus est, te ipsi consulatui præstare, vt maiorem eum suscipiendo, gerendóque facias. Nam sæpius recusare, ambiguam, ac potius illam interpretationem habet, tanquam minorem putes. Tu quidem vt maximũ recusasti; sed hoc persuadere nemini poteris, nisi aliquãdo & non recusaueris. Cum arcus, cum trophæa, cum statuas deprecaris, tribuenda est verecundiæ tuæ venia:

nia; illa enim sanè tibi dicãtur. Cum verò postulamus, vt futuros principes doceas inertiæ renuntiare, paulisper delicias differre, paulisper, & saltem ad breuissimum tempus ex illo felicitatis somno, velut excitator induere prętextam, quam cum dare possent, occuparint: ascendere curulem, quam detineant: esse denique, quod concupierunt: nec ideo tantum velle consules fieri, vt fuerint.

COMMENTARIVS.

Onerosum.] *Nos senatores, nimium onerauimus tuam uerecundiam, toties tibi consulatum offerendo. Nescio quid, formula est, qua utimur, cùm aliquid non magni esse momenti significamus.* Senator tuus.] *Virginius esset.* An consularis viri.] *Neruam intelligit.* Generis claritate.] *Nobilitate. Eutropius author est. Traianum ex antiqua familia ortum fuisse, in qua pater eius primùm consul fuit.* Aperire annum.] *Incipere annum initio consulatus.* Fastósq; reserare.] *Annales pontificis, Fastos hoc loco libros uocat, quibus totius anni rex populi Romani scriptæ continebantur. Vnde sunt libri fastorum Ouidij de causis festorum.* Exactis regibus.] *Expulsis Tarquinijs, Prisco & Superbo, anno ante Christum 571.* Cœpit liber annus.] *Libertas est recuperata.* Seruitus pulsa.] *Tyrãnica.* Nomina priuata.] *Eorum, qui Reges non erant.* Induxit fastis.] *Annalibus adscripsit.* Vt semper principes erant.] *Vt perpetuum principatum: ita consulatum retinere conabantur.* Liuor & malignitas.] *Liuor, quo quis dolet adesse alteri, quod ipse cupit. Malignitas est, qua quis sua impartiri nõ uult alijs. Liuor, tempore Ciceronis in usu non erat, sed tempore Plinij in usum Latinorum uenit.* Omnes annos possidere

re.] *Occupare consulatum.* Summúmq; illud.] *Tyranni consulatum alijs non concedebant, nisi eum priùs delibassent. Cui rei testes sunt, Domitianus, Iulius Cæsar, Augustus Cæsar, Nero, Claudius.* Magnanimitatem.] *Amplificatio per ἀποφάσεις.* Præstes.] *Te ei impendas.* Vt maiorem.] *Quò enim Magistratum gerens illustrior est, eò ipse Magistratus magnificentior est. Vnde Plato in libris de legib. requirit Magistratus meliores ipsis legibus.* Quum arcus.] *Per locum à differentia modestiam auget.* Trophæa.] *Vergilius initio x I. Aeneid. mirificè expressit trophæum Aeneæ de Mizentio.* Deprecaris.] *Precibus adhibitis recusas.* Postulamus.] *Demosthenes in olynthiacis & philippicis grauiter Atheniensium inertiam, desidiam & luxum abundantem insectatur.* Postulamus.] *Iure exigimus.* Doceas.] *Illis te in exemplum des.* Inertiæ renuntiare.] *Rempublicam strenuè administrare.* Inducere prætextam.] *Vestem consularem, ipsum consulatum.* Dare possent.] *Cùm possent principes priuatis dare consulatum, ipsi eum arroganter occupant. Imperatores enim olim suffragia consularia, quæ populi erant, sibi uendicarunt.* Ascendere curulem.] *Sellam curulem. Consules & reliqui maiores magistratus, curru honoris gratia in curiam uehebantur, in quo sella erat, cui insidebant. Vnde sella curulis dicta est. Est igitur ascendere sellam curulem, consulem agere, & ius postulantibus dicere.* Esse denique.] *Monet ut consulatum quem expetiuerunt, probè, honestè & non titulo tenus administrent.* Vt fuerint.] *Vt fuisse dicantur, & consulis munus non obierint.*

Cessisti alterum consulatum, scio, illum exercitibus, illum prouincijs, illum etiam exteris gentibus poteris imputare, non potes nobis. Audiuimus quidem te omne

omne munus consulis obijsse, sed audiuimus. diceris iustissimius, humanissimus, patientissimus fuisse, sed diceris. ęquum est aliquando nos iudicio nostro, nostris oculis, non famę semper & rumoribus credere. Quousque absentes de absente gaudebimus? liceat experiri an aliquid superbię tibi ille ipse secundus consulatus attulerit: multum in commutandis moribus hominũ medius annus valet, in principũ plus. Didicimus quidem, cui virtus aliqua contingat, omnes inesse: cupimus ta- experiri, an nunc quoque vna, eadémque res sit nobis consul, & bonus princeps. Nam pręter id, quod est arduum duas, eásque simul capere potestates summas, tum inest vtrique nonnulla diuersitas quum principem, quàm simillimum esse priuato, Consulem, quàm dissimillimum deceat. Atque ego video proximo anno consulatus recusandi hanc pręcipuam fuisse rationẽ, quòd eum absens gerere nõ poteras: sed iam vrbi, votísq; publicis redditus, quid est in quo magis sis approbaturus, quę quantáq; fuerint quę desiderabamus?

COMMENTARIVS.

Alterum consulatum.] *Laus est à secundo consulatu Traiani. Quem Plinius dicit, Traianum impendisse exercitui, prouincijs, Barbaris nationibus, sed non populo Romano.* Imputare.] *Impensum esse dicere.* Non potest nobis.] *Impensum eum esse dicere.* Sed audimus.] *Tantùm id sermone multorum ad nos adfertur.* Diceris iustissimus.] *Articulus, per similiter cadens.* Aequum est.] *Optat Plinius, ut Romani coràm uideant Traianum consulem, & illius æquitatem, humanitatem, patientiam experiantur.* Nostris oculis.] *Quibus maior fides adhibenda est, quàm*

quàm auribus. Non famæ.] *Fama, est popularis consensus, certum habens authorem: rumor, publicus consensus incerto authore sparsus. Quintil. lib. v. cap. iii.* Homerus *famam ἄγγελον Διὸς uocat.* Quousque absentes.] *Quintil. author est interrogatione acriorem & uehementiorem fieri orationem: figuratum est inquit, quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi. Quale est illud: Quousq; tandem abutêre Catiliana patientia nostra?* Et *pro quinto Ligar. Quid tuus ille, Tubero, districtus in acie pharsalica gladius agebat?* Commutandis.] *Euariandis.* In principum.] *Cùm enim maior honorum cumulus accedit, tunc homines (ut frequenter fit) animos attollere & maiores spiritus assumere solent.* Didicimus.] *Stoicum hîc Plinius agit: quorum ea est sententia: uirtutes ita esse inter se connexas, ut qui unam habeat, omnes habeat. Sic qui unam planè scientiam callet, omnes ferè tenere uidetur, omnes enim scientiæ, communi continentur uinculo. Quam Platonis sententiam Cicero pro Archia poëta tractat.* Cupimus tamen.] *Plinius ex placito Stoicorum sic colligit: omnes artes communi uinculo continentur: agere bonum consulem & bonum principem, artes quædam sunt: quocirca continentur communi uinculo: & qui unum potest præstare, & alterum. Similis disputatio est apud Aristotelem de bono ciue, & bono uiro ii. lib. Politic.* Nam præter.] *Iurisconsulti disputant, unum uni officio præesse oportere. Arduum etiam est, unum duas dignitates rectè administrare posse. Singulæ enim functiones, singulas hominum exigunt operas.* Summas.] *Consulatum & principatum.* Principem esse.] *Multum enim de seueritate imperij remittere debet.* Consulem.] *Docet esse quàm dissimillimum priuato. Nam consul omnia pro dignitate consulari gerere debet: ut Fabius Maximus salutaturus consulem filium in castris*

stris, ex equo descendit. Atque ego.] *Mirifica orationis maiestate causam reddit, cur Traianus anno præterito consulatum honestè recusauerit.* Approbaturus.] *Declaraturus.*

Parum est vt in curiam venias, nisi & conuocas: vt interfis senatui, nisi & præsides: vt censentes audias, nisi & perroges. Vis illud augustissimum consul aliquando tribunal maiestati suæ reddere? ascende. Vis constare reuerentiam magistratibus, legibus autoritatem, modestiam postulantibus? adi. Quid euim interesset Reipublicæ, si priuatus esses, consulem te haberet tantum, an & senatorem? hoc nunc scito interesse, principem te habeat tantum, an & consulem. His tot tantisque rationibus, quanquam multum reluctata verecundia principis nostri, tandem tamen cessit. At quemadmodum cessit, non se vt priuatis, sed vt priuatos pareis sibi faceret. Recepit enim tertium consulatum, vt daret, nouerat moderationem hominum, nouerat pudorem, qui non sustinerent tertiò consules esse, nisi cum ter consule. Bellorum istud socijs olim periculorum consortibus, parcè tamen tribuebatur, quod tu singularibus viris, ac de te quidem bene, ac fortiter præstitisti, sed in toga meritis vtriusque cura, vtriusque vigilantia obstrictus es Cæsar. Sed in principe rarum, ac propè insolitum est, vt se putet obligatum: aut si putet, amet. Debes ergo Cæsar, & soluis. Sed cum ter consules facis, non tibi magnus princeps, sed non ingratus amicus videris: quinetiam perquàm modica quædam ciuium merita fortunæ tuę viribus in maius extollis. Efficis enim vt tantum sibi quisque prestitisse videatur, quantum à te recipit. Quid isti benignitati precer? nisi vt semper obliges, obligeris: incer

incertúmque facias, vtrum magis expediat ciuibus tuis deberetibi, an præstitisse. Equidem illum antiquum senatum contueri videbar, cum ter consule assidente, tertiò consulem designatum rogari sententiam cernerem. Quanti tunc illi, quantúsque tu?

COMMENTARIVS.

Parum est.] *Hortatur Traianum, ut consulis munere & officio fungatur, nec tantùm titulotenus consulatum gerat.* Vt in Curiam venias.] *Curia & Senatus, pro eodem sumuntur. Erat enim locus, ubi de commodo & incommodo Reipub. deliberabatur. Duplicem Curiam quidam constituunt, sacrorum & Senatus. In curia sacrorum, sacerdotes de diuinis, in curia Senatus, Magistratus de negotijs Reipubl. tractabant. Forum, locus ubi causæ agũtur, & iudicia exercentur.* Nisi & conuocatus.] *Consules enim cùm de rebus grauioribus deliberandum erat, senatũ conuocabant.* Nisi & præsides,] Vt *consul, cũius est præesse.* Censentes audias.] *Senatores, qui sententiam dicunt. Censere frequens est apud Plinium pro sententiam dicere.* Nisi & perroges.] *Penitus sententiam deliberantium discas.* Vis illud.] *Oportet hominem esse ornamento ipsi loco, non locũ homini.* Augustissimũ.] Tribunal.] *Religiosa ueneratione dignissimum.* Constare reuerentiam.] *Integram perfectámq; esse.* Quid enim interesset.] *Quantò maius commodum Traianus Reipublicæ attulisset, si & consul, & senator fuisset: tantò nunc maiorem adfert Reipublicæ authoritatem, quod simul & princeps & consul sit.* Tandem cessit.] *Precibus uicta est. Traianus tertium accepit consulatum.* Non se.] *Sic enim Traianus minuisset principis authoritatem.* Sed vt priuatos.] *Priuatos in tertium consulatum optando. Est figura ἀντιμεταβολή.* Tertium consulatum.] *Causam reddit, cur Traianus tertium receperit consulatum, ne Traianus in crimen ambitionis incurrere uideatur.* Non sustinerent.] *Non ferrent.* Tertiò Consules esse.] *Tertiò Consul ordinem respicit, & tertiò aduerbialiter ponitur. Tertiùm Censul, ad uices refertur. Cicero rogatus differentiam inter Tertiò, & tertium Consul, pinxit triplex ter. ut legeretur ter, tertiò, tertiùm, Consul, pro arbitrio, hoc callido commẽto se ab hac difficili quæstione exoluit. Vide Aulum Gellium 1. cap. x. libri.* Bellorum.] *Imperatores solebant socijs, quibus cum bella sustinuissent, sæpius consulatum mandare: ut Iulius Cæsar Antonio.* Istud.] *Decus tertij Consulatus.* Singularibus viris.] *Priuatis.* Præstitisti.] *Exhibuisti.* In Toga.] *Pace.* Vtriusque.] *Tertij consulis.* In principe.] *Tyranni etsi beneficia à priuatis acceperant, tamen nolebant uideri obligati. Traianus autem id & agnoscit, & fatetur.* Debes Cæsar.] *Beneficium.* Ter Consules.] *Traianus tertiùm facit consules, ut beneficium rependat, non ut magnus princeps uideatur.* Attollis.] *Propter gestum consulatum.* Præstitisse.] *Consuluisse Reipub.* Quid isti.] *Amplificatio à mutuis & reciprocis beneficijs principis, & subditorum.* Antiquum senatum.] *Quem Cyneas regibus potius quàm senatoribus constare dicebat.* Rogati sententiam.] *Primùm omnium consules designatos, deinde consulares, postremò omnes senatores princeps rogabat.*

Accidit quidem, vt corpora quamlibet ardua, & excelsa procerioribus admota decrescant: item vt altissimæ ciuium dignitates collatione fastigij tui, quasi deprimantur: quantóq; propius ad magnitudinem tuam ascenderint, tantò etiam à sua descendisse videantur. Illos tamen tu quanquam non potuisti tibi æquare cum

vellcs

velles,adeò in edito loco collocasti,vt tantum super cæteros,quantum infra te cernerentur.Si vnius tertiũ consulatum eundem in annum,in quem tuum contulisses, ingentis animi specimen haberetur.Vt enim felicitatis est,quantum velis posse,sic magnitudinis velle, quantum possis.Laudandus quidem & ille,qui tertium consulatum meruit, sed magis sub quo meruit.Magnus, memorandúsque,qui tantum præmium cepit,sed maior qui capienti dedit.Quid?quòd duos pariter tertio consulatu collegas tui sanctitate decorasti? vt sit nemini dubium,hanc tibi præcipuam caussam fuisse extendendi consulatus tui,vt duorum consulatus amplectere tur,& collegam te vni daret.Vterque nuper consulatũ alterum gesserat à patre tuo,id est quãto minus quàm à te datum,vtriusque adhuc oculis pauloante dimissi fasces oberrabant,vtriusque solennis ille lictorum,& præ nuntius clamor auribus insederat, cum rursus curulis, rursúsque purpura,vt olim, cum hostis in proximo, & in summum discrimen adducta Respub.expertum ho noribus virum posceret non consulatus hominibus ijsdem,sed ijdem homines consulatibus reddebantur.Tãta tibi benefaciendi vis,vt indulgentiam tuam necessitas æmuletur.

COMMENTARIVS.

Accidit quidem.] *Tacita antipophora.dicere enim poterat aliquis,Traianum fuisse redactum in ordinem, quod tertiò fuerit consul.Respondet,etsi magna fuit dignitas collegarum: Traiani tamen maior fuit.Id'que à simili docet, quo etiã prius usus est.Est hæc natura syderibus.* Illos tamen.] *Collegas tuos in consulatu.* Tibi æquare.] *Aequales honore*

nore facere.Difficile enim est duos simul imperare. Infra te.] *Intra dignitatem tuam.* Si vnius.] *A' minore ad maius sic colligit:Si Traianus tertium consulatũ in alium eo anno, quo acceperat, contulisset, laudãdus meritò fuisset.Ergo multò maiorem meretur laudem,quod tertium cõsulatum in duos eodem eo anno contulerit.* Ingentis animi.] *Summæ magnitudinis animi exemplum.* Vt enim felicitatis est.] *Sententia æterna memoria digna, per ἀντιμεταβολήν.* Quid?] *Vt Traianus duos faceret eodem anno tertiùm consules,unum secum in sex priores menses assumpsit: alterum in alios sex posteriores menses designauit.Vt autem Traianus utrunque cohonestaret,ipse consulatum suum in finem anni perpetuauit.* Tui sanctitate.] *Integritate.plus tamen est sanctitas, quàm integritas.* Vterque nuper.] *Fronto & Virginius.Ex dignitate Traiani,consulum dignitatem auget.* Dimissi fasces.] *Quos lictores consulibus præferebant.* Oberrabant.] *Obuersabantur.* Lictorum.] *Lictores ministri consulum, proconsulum,prætorum, præsidum, & cæterorum, qui cum imperio sunt.* Clamor.] *Quo consules adesse significabatur.* Purpura.] *Toga consulatus.* Hostis in proximo.] *Pene muros haberet.* Expertum honoribus.] *Spectatum, probatum.* Non consulatus.] *Hoc etsi obscurum est, uidetur tamen esse ratio superioris: quod dixerat expertum honoribus uirum.Nam cùm grauia & periculosa ingruebant bella eisdem uiris probis,expertis,probatis consulatus reddebatur.* Tanta tibi.] *Vt olim quidam legibus soluebantur qui ante decennium secundùm aut tertiùm consules fiebant:ita etiam sub Traiano ob eius inauditam indulgentiam omnes ferè in consulatibus legibus soluuntur.*

Modò prætextas exuerant,resumant: modò lictores abire iusserant, reuocent: modò gratulantes amic

 recess

recesserant, reuertantur. Hominísne istud ingenium est? hominis potestas? renouare gaudia, redintegrare læitiam, nullámque requiem gratulationis dare, neque alia repetendis consulatibus interualla permittere, nisi dum finiuntur? Facias ista semper, nec vnquam in hoc opere aut animus tuus, aut fortuna lassetur. Des quam plurimis tertios consulatus: & cum plurimis tertios consulatus dederis, semper tamen plureis, quibus debeas dare, supersint. Omnium quidem beneficiorum, quæ merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium magis, quàm ad similes redundat, præcipue tamen ex horum consulatu non ad partem aliquam senatus, sed ad totum senatum tanta lætitia peruenit, vt eundem honorẽ omnes sibi & dedisse & accepisse videãtur. Nẽpe enim hi sunt, quos senatus cum publicis sumptibus minuendis optimum quenque præficeret, elegit equidem primos. Hoc est igitur, hoc est, quod penitus illos animo Cæsaris insinuauit. An parum sæpe experti sumus hãc esse rerum conditionem, vt Senatus fauor apud principem aut prosit, aut noceat? Nónne paulò antè nihil magis exitiale erat, quàm illa principis cogitatio? hunc senatus probat, hic senatui charus est: oderat quos nos amaremus, sed & nos quos ille. Nunc inter principem, senatúmque dignissimi cuiusque charitate certatur: demonstramus inuicem, credimus inuicem, quódque maximum amoris mutui signum est, eosdem amamus. Proinde Patres c. fauete aperte, diligite constanter. Nõ iam dissimulandus est amor, ne noceat: non premendum odium, ne prosit: eadem Cæsar, quæ senatus probat, i improbátque, vos ille præsenteis, vos etiam absenteis in consilio habet, tertio consules fecit, quos vos elegerat

geratis, & fecit hoc ordine, quo electi à vobis erãt. Magnus vterque honor. Vester, siue eosdem maximè diligit, quos scit, nobis esse charissimos: siue illis neminem præfert, quamuis aliquem magis amet. Proposita sunt senioribus præmia, iuuenibus exempla: adeant, frequẽtent securas tandem ac patenteis domos. Quisquis probatos senatui viros suscipit, hic maxime principem promeretur: sibi enim adcrescere putat, quod cuiq; adstruatur: nullámque in eo gloriam ponit, quòd sit omnibus maior, nisi maximi fuerint, quibus maior est.

COMMENTARIVS.

Modo.] *Explicatio loci superioris.* Prætextas.] *Togas consulares.* *Prætexta, est uestis puerorũ patriciorum: sic dicta, quia purpura prætexitur, hæc decimosexto anno deponebatur, & toga uirilis, quæ maioris prudentiæ indiciũ erat, sumebatur. Papyrius cognominatus est prætextatus ob tacendi loquendiq; in prætexta ætate prudentiam.* Vide Macrobium, & Aulum Gellium. Cice. 11. Philippica Antonium *insectatur, quòd prætextatus decoxerit.* Gratulantes amici.] *Qui gratulabantur de consulatu perfecto.* Hominisne.] *Potius diuini quàm humani ingenij hæc uidentur esse indicia.* Facias istud semper.] *Pulchra optatio siue precatio. Est autem facio, uerbum precationi aptum, & quo Trãquillus in Nerone utitur.* Hoc opere.] *His rebus gestis.* Ex horum consulatu.] *Quibus datus est tertius consulatus.* Lætitia peruenit.] *Quia senatui obtemperas.* Sumptibus minuendis.] *Neronis temporibus multa impendia publica sublata fuerunt.* Hoc est igitur.] ἀναδίπλωσις, *ad orationis uehementiam.* Penitus illos.] *Consules.* Insinuauit.] *Cæsari intimos fecit.* An parum.] *Contentio*

recesserant, reuertantur. Hominísne istud ingenium est? hominis potestas? renouare gaudia, redintegrare lætitiam, nullámque requiem gratulationis dare, neque alia repetendis consulatibus interualla permittere, nisi dum finiuntur? Facias ista semper, nec vnquam in hoc opere aut animus tuus, aut fortuna lassetur. Des quam plurimis tertios consulatus: & cum plurimis tertios consulatus dederis, semper tamen plureis, quibus debeas dare, supersint. Omnium quidem beneficiorum, quæ merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium magis, quàm ad similes redundat, præcipue tamen ex horum consulatu non ad partem aliquam senatus, sed ad totum senatum tanta lætitia peruenit, vt eundem honorẽ omnes sibi & dedisse & accepisse videãtur. Nẽpe enim hi sunt, quos senatus cum publicis sumptibus minuendis optimum quenque præficeret, elegit equidem primos. Hoc est igitur, hoc est, quod penitus illos animo Cæsaris insinuauit. An parum sæpe experti sumus hãc esse rerum conditionem, vt Senatus fauor apud principem aut prosit, aut noceat? Nónne paulò antè nihil magis exitiale erat, quàm illa principis cogitatio? hunc senatus probat, hic senatui charus est: oderat quos nos amaremus, sed & nos quos ille. Nunc inter principem, senatúmque dignissimi cuiusque charitate certatur: demonstramus inuicem, credimus inuicem, quódque maximum amoris mutui signum est, eosdem amamus. Proinde Patres c. fauete aperte, diligite constanter. Nõ iam dissimulandus est amor, ne noceat: non premendum odium, ne prosit: eadem Cæsar, quæ senatus probat, improbátque, vos ille præsenteis, vos etiam absenteis in consilio habet, tertio consules fecit, quos vos elegerat

geratis, & fecit hoc ordine, quo electi à vobis erãt. Magnus vterque honor. Vester, siue eosdem maximè diligit, quos scit, nobis esse charissimos: siue illis neminem præfert, quamuis aliquem magis amet. Proposita sunt senioribus præmia, iuuenibus exempla: adeant, frequẽtent securas tandem ac patenteis domos. Quisquis probatos senatui viros suscipit, hic maxime principem promeretur: sibi enim adcrescere putat, quod cuiq; adstruatur: nullámque in eo gloriam ponit, quòd sit omnibus maior, nisi maximi fuerint, quibus maior est.

COMMENTARIVS.

Modo.] *Explicatio loci superioris.* Prætextas.] *Togas consulares.* Prætexta, *est uestis puerorũ patriciorum: sic dicta, quia purpura prætexitur, hæc decimosexto anno deponebatur, & toga uirilis, quæ maioris prudentiæ indiciũ erat, sumebatur.* Papyrius *cognominatus est prætextatus ob tacendi loquendiq; in prætexta ætate prudentiam.* Vide Macrobium, & Aulum Gellium. Cice. II. Philippica Antonium *insectatur, quòd prætextatus decoxerit.* Gratulantes amici.] *Qui gratulabantur de consulatu perfecto.* Hominisne.] *Potius diuini quàm humani ingenij hæc uidentur esse indicia.* Facias istud semper.] *Pulchra optatio siue precatio. Est autem facio, uerbum precationi aptum, & quo* Trãquillus *in* Nerone *utitur.* Hoc opere.] *His rebus gestis.* Ex horum consulatu.] *Quibus datus est tertius consulatus.* Lætitia peruenit.] *Quia senatui obtemperas.* Sumptibus minuendis.] *Neronis temporibus multa impendia publica sublata fuerunt.* Hoc est igitur.] ἀναδίπλωσις, *ad orationis uehementiam.* Penitus illos.] *Consules.* Insinuauit.] *Cæsari intimos fecit.* An parum.] *Contentio*

perpulchra. Traiani tempora cum Domitiani confert. Probat Plinius mutuum Senatus & principis consensum. Hunc senatus.] *Imitatio est.* Probat.] *Probamus eum, cuius mores laudamus. Charum habemus, quem amamus.* Proinde P. C.] *Vehemens adhortatio ad mutuum amorem Senatus & principis.* Fauete apertè.] *Sine dissimulatione.* Amor.] *Bonorum.* Premendum odium.] *Occultandum premimus ea, quæ occulimus, ne in superficie enatent.* Fecit hoc ordine.] *Ex hoc loco constat, tertiò consulem ad ordinem referri.* Præmia.] *De bene meritis.* Iuuenibus exempla.] *Vt ea imitentur.* Adeant.] *Apud malos enim principes, iuuenes non audebant ædes diuitum frequentare.* Suspicit.] *Veretur, honorat.* Principem promeretur.] *principi gratum facit, principem sibi conciliat.*

Persta Cæsar in ista ratione propositi, taleísque nos crede, qualis fama cuiusque est: huic aureis, huic oculos intende; ne respexeris clandestinas existimationes: nullísque magis quàm audientibus insidianteis susurros. Melius omnibus, quàm singulis creditur, singuli enim decipere & decidi possunt; nemo omneis, neminem omnes fefellerunt.

COMMENTARIVS.

Persta Cæsar.] ἀποστροφὴ *ad Cæsarem.* Fama est.] *Prædicatio, sermo de quoque.* Oculos intende.] *Hunc audi & uide.* Ne respexeris.] *Ne curaueris.* Clandestinas existimationes.] *Iudicia clancularia.* Nullísq; magis.] *Oculos intende.* Gloriam ponit.] *Quantò enim maiores sunt, quibus princeps imperat, tantò illustrior est princeps. Qui præest equis, equiso, qui asinis, agaso, sed qui Regibus, Regum uidetur dominus. Vnde Homerus cùm uictorem descr*

describit, magnum illustrémq; uictum facit, ut maior & illustrior uictoris sit gloria. Melius omnibus.] *Ex magna hominum multitudine, unus aut alter ferè existit, qui aut ob naturæ bonitatem, aut excellentem eruditionem, nec fallit, nec fallitur facilè. Ob id tutius multitudini creditur, quàm singulis.*

Reuertor iam ad consulatum tuum, etsi sunt quædam ad consulatum quidem pertinentia ante consulatum tamen, in primis quòd comitijs tuis interfuisti candidatus, non consulatus tantum, sed immortalitatis, & gloriæ & exempli, quod sequerētur boni principes, mali mirarentur. Vidit te populus Roma. in illa vetere potestatis suæ sede: perpessus es longum illud carmen comitiorum, nec iam irridendam moram: consúlque sic factus es, vt vnus ex nobis, quos facis consules. Quotus quisque principum antecedētium honorem istum, aut consulatui habuit, aut populo? non alij marcidi somno, hesternáque cœna redundantes conuitiorum suorum nuncios operiebantur? Alij sanè peruigiles & insomnes, sed intra cubilia sua illis ipsis consulibus, à quibus consules renunciabantur, exilia, & cædem machinabantur. O' praua, & inscia veræ maiestatis ambitio, cōcupiscere honorem, quem dedigneris dedignari, quem concupieris, cúmque ex proximis hortis campum, & comitia prospectes, sic abes, tanquam Danubio, Rhenóque dirimare, auerseris tu honori tuo sperata suffragia: renunciaríque te consulem iussisse contentus, liberæ ciuitati ne simulatione si quidem seruias: abstineas denique comitijs abstrusus, atque abditus, quasi illic tibi nō consulatus detur, sed abrogetur imperium. Hæc persuasio superbissimis dominis erat, vt sibi vide-

rentur principes esse desinere, si quid facerent tanquam senatores. Plerique tamen non tam superbia, quàm metu quodam submouebantur: an stuprorum sibi, incestarúmque noctium conscij auspicia polluere, sacratúmque campum nephario auderent contaminare vestigio? non adeò deos hominésque contempserant, vt in illa spatiosissima sede hominum, deorumque coniectos in se oculos ferre, ac perpeti possent.

COMMENTARIVS.

Reuertar iam.] *Tractauit modestiam Traiani, qua cum tertium consulatus offerretur, usus est. Et explicauit gaudium quod omnes Romani ex tertio consulatu Traiani perceperunt. Nunc rerum naturalem sequitur ordinem. Primùm ea exponit, quæ ante consulatum Traianus gessit. Deinde quæ in consulatu, postremò ea quæ consulatum secuta sunt.* Comitijs tuis.] *Quibus magistratus creabantur. Quæstio satis est impedita & inuoluta apud scriptores de uarijs comitijs. propterea rem uniuersam oculis subijcere, & in figuram contrahere, uisum est.*



Candidatus.] *Candida ueste indutus. Hæc autem uestis integritatē, & tenuitatem eorum indicabat, qui magistratum petebant. Hi primates salutabant, manus apprehensabant. Et suffragia eblandiebātur.* Immortalitatis.] *Immortalis gloriæ.* Vetere sede.] *Maiestate, comitio.* Longū carmen.] *Longam uerborum formulam. Carmen enim, quandoque pro solenni uerborum formula, & (ut sic dicam) rituali sumitur.* Sic Liuius: *Lex horrendi carminis.* Irridendam moram.] *Nam cùm alij principes consules designari debebant, id omnes sciebant: sic ea expectatio irridebatur.* Quotus quisque.] *Continentiam modestiam, mansuetudinem Traiani, luxui, arrogantiæ, crudelitati aliorum principum confert.* Marcidi somno.] *Torpidi, languescētes.* Intra cubilia sua.] *Tanquàm feræ truculentæ. Neronem, Caligulam, Domitianum perstringit: qui inexplebiles heluones, insomnes noctes ducebant, aut perpotando, aut uiris bonis insidias ponendo.* O praua.] *Vehemens acclamatio per indignationem ad exagitandum illa portenta Reipublicæ.* Honorem.] *Dignitatem consularem.* Dedigneris.] *Auerseris, recuses.* Campum.] *Martium.* Ab illis abes.] *Animo honoribus non es intentus.* Tanquàm Danubio.] *Magno interuallo.* Hæc persuasio.] *Superbissimi Tyranni persuadebant sibi se minuere principatum, si Senatores officio sancti fuissent.* Plerique tamen.] *Nefarij principes, nefariorum scelerum sibi conscij, sacratum campum Martium ne intueri quidem audebant, ne suis sceleribus eum contaminarent. Tanta conscientiæ uis est, ut etiam in maximis criminibus, Deos reuereatur. Caium & Domitianum hîc notat, qui stupro, incestu & omni inaudita libidine se polluerant.*

Tibi contrà & moderatio tua suasit, & sanctitas, vt te &

te & religioni deorum, & iudicijs hominum exhiberes. Alij consulatum antè, quàm acciperent, tu & dum accipis, meruisti. Peracta erant solennia comitiorum, si principem cogitares: iámque se omnis turba commouerat, cum mirantibus cunctis accedis ad consulis sellam: adigendum te præbes, in verba principibus ignota, nisi cum iurare cogerent alios. Vides quàm necessarium fuit consulatum non recusare? non putassemus istud facturum te fuisse, si recusasses. Stupeo P. C. necdum satis aut oculis meis, aut auribus credo, atque identidem me an audierim, an viderim interrogo. Imperator ergo, & Cæsar, & Augustus Pontifex maximus stetit ante gremium consulis? sedítq; consul principe ante se stante? & sedit inturbatus, interritus, & tanquam ita fieri soleret? quinetiam sedens stanti præbuit iusiurandum: & ille iurauit, expressit, explanauítque verba, quibus caput suum domum suam, si scienter fefellisset, deorum iræ consecraret. Ingens Cæsar, & par gloria tua siue fecerint istud postea principes, siue non fecerint. Vlláne satis prædicatio digna est? idem tertiò consulem fecisse, quod primò? idem principem, quod priuatum? idem imperatorem, quod sub imperatore? Nescio iam nescio pulchriúsne sit istud, præeunte nullo, an hoc quòd alio præeunte iurasti. In rostris quoq; simili religione ipse te legibus subiecisti. Legibus Cæsar, quas nemo principi scripsit.

COMMENTARIVS.

Tibi contrà.] *Traianus nullius mali sibi conscius, nullius etiam perhorrescit oculos.* Et sanctitas.] *Sanctitas, est uitæ integritas. Sanctum, quod legibus inuiolatum est: Sacrum*

crum, quod religione inuiolatum est. Tu & dum.] *Et, minuta est particula, sed magnas habet uires, hic significat Traianum consulatum meruisse, & antequàm acciperet, & dum accipit.* Peracta erant.] *Auget laudem Traiani ab omnibus ceremonijs consulatus obseruati.* In verba.] *Iurisiurandi.* Principibus ignota.] *Quibus principes non utebantur.* Nisi quum.] *Nisi quum princeps consulibus designatis uerba ritualia præiret.* Istud facturum.] *Vt in iuramentum adigereris.* Stupeo.] *ἀποσφοφὴ ad omnes senatores.* Auribus credo.] *Quia istud fidem omnem exuperare uidetur.* Imperator ergo.] *Congeries à uarijs dignitatum titulis.* Pontifex Max.] *Pontifices Maximi, minores, minimi fuerunt. Inter quos, apud quem summa erat sacrorum potestas, summus Pontifex dictus est. Hunc Numa Pompilius (Religionis obseruantissimus) instituit. Videndus est Alexander ab Alexandro.* Explanauit verba.] *Verba in quæ inituri consulatum iurabant.* Caput suum.] *Vitam & familiam.* Si scienter.] *Contra leges quid fecisset:* Consecraret.] *Deuoueret.* Prædicatio.] *Laus.* Tertiò consulem.] *Tertia uice. Hoc loco, Tertiò consulem & tertiùm consulē promiscuè usurpat.* Idē Imperatorē.] *Traianum iurasse in uerba.* Nescio iā.] *ἀναστίπλωσις καὶ ἀπορία.* Quod alio.] *Prædicante formulam iurisiurandi. Antiquitus enim tam rigidi erant religionis satellites, ut in sacris & rebus solennibus, ne in syllaba quidem errare oporteret. unde iuranti in rebus sacris uerba suggerebantur. Cuius rei mentio est apud Cornelium Tacitum lib. XXII. Cicero in oratione pro Milone, dixit uoce præire, pro eo, quod est præloqui: ita ut alius præloquentis uerba sequendo, sigillatim exprimat. Dicimus præire, præire uoce, præire uerba, carmen, & præire de scripto.* In rostris.] *Foro.* Religione.] *Ceremoniarum obseruantia.* Subiecisti.] *Submisisti.* Legibus Cæsar.] *Princeps legibus solutus est. l. princeps. de legib. principe tamen dignum est, profiteri se legibus subiectum esse. l. digna uox. C. de legib. Iustinianus. §. ultimo. quib. mod. testam. infirm. Licet legibus soluti sumus: attamen legibus uiuimus.*

Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quàm nobis: sic fit vt nos tibi plus velimus. Quod ego nunc primum audio, nunc primum disco: non est princeps supra leges, sed leges supra principem, idémque Cæsari consuli, quod cæteris non licet, iurat in legem attendentibus dijs nam cui magis, quàm Cæsari attendant? iurat obseruantibus ijs, quibus idem iurandum est, non ignarus alioqui nemini religiosius, quod iurauerit, custodiendum, quàm cuius maxime interest non peierare. Itaque & abiturus consulatu iurasti te nihil contra leges fecisse. Magnum hoc erat, cùm promitteres, maius postquam præstitisti. Iam toties procedere in rostra, inascensúmque illum superbiæ principum locum terere, hic suscipere, hic ponere magistratus, quàm dignum te, quámque diuersum consuetudine illorum, qui pauculis diebus gestum consulatum, imò non gestum abijciebant per edictum? hoc pro concione, pro rostris, pro iureiurando scilicet, vt primis extrema congruerent, vtque hoc solo intelligerentur ipsi consules fuisse, quòd alij non fuissent.

COMMENTARIVS.

Tibi licere.] *Permissum esse.* Non est princeps.] *Traianus leges cum priuatis obseruat, non uidetur itaque legibus maior.* Itaque.] *Consules abituri officio, se nihil contra*

tra leges fecisse iurabant. author in Pisonem Cicero. Magnum hoc erat.] *Acclamatio: ut multò est difficilius aliquid præstare, quàm promittere, ita longè laudabilius.* Iam toties.] *Amplificatio à numero.* Superbiæ principum locum terere.] *In quo principes superbire solebāt. Raro tamen ex hoc loco iur dixerunt, imò ne de plano quidem.* Imò nō gestum.] *Sed præfloratum, decerptûmq;. Correctio est.* Hoc pro concione.] *Indicasti.* Vt primis.] *Vt Traianus & eius collega solennitate cōsulatum iniuerunt; ita etiam abiuerunt.* Ipsi.] *Traianus & collega.* Alij non fecissent.] *Mali principes.*

Non transiliui P. C. Principis nostri consulatum, sed eundem in locum contuli, quicquid de iureiurando dicendum erat. Neque enim vt in sterili, ieiunáque materia eandem speciem laudis deducere, ac spargere, atque identidem tractare debemus. Illuxerat primus consulatus tui dies, quo tu curiam ingressus, nūc singulos, nunc vniuersos adhortatus es resumere libertatem, capessere quasi communis imperij curas, inuigilare publicis vtilitatibus, & insurgere. Omnes ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te creditum est. Erant sub oculis naufragia multorum, quos inuidiosa tranquillitate prouectos improuisus turbo perculerat. Quod enim tam infidum mare, quàm blanditiæ principum illorum, quibus tanta lenitas, tanta fraus, vt facilius esset iratos, quàm propitios habere? Te verò securi, & alacres quò vocas, sequimur. Iubes esse liberos? erimus: iubes, quæ sentimus promere in medium? profere mus. Neque enim adhuc ignauia quadam, & insito torpore cessauimus. Terror, & metus, & misera illa ex periculis facta prudentia monebat, vt à repub. (erat autē omnino nulla respublica) oculos, aureis, animos, auertemus.

COMMENTARIVS.

Non transiliui.] *Occupatio. Dixerit aliquis, prima extremis connectis, hoc est, designationē cōsulatus & depositionē. Nihil igitur Traianus medio tempore, & in ipso cōsulatu gessit. Hāc diluit obiectionē Plin. Mentionē fecit eorum, quæ seruantur ab his, qui ineunt consulatū. Ex quorum numero est iusiurandum, quod etiam præstatur ab his, qui abeunt consulatu, ob id ea, quæ ad iusiurandi ceremonias pertinent, in hūc coniecit locum. Est autem triplex narrandi ordo. primus, cùm unumquodque eo quo gestum est, ordine explicamus. Hic naturalis est, & scriptoribus rerum familiaris, Secundus ordo est poëticus, cùm ab ultimis aut medijs incipimus, ut Vergil. à septimo anno nauigationis Aeneæ, Homerus à decimo anno belli Troiani. Tertius est proprius oratorum, qui ea præponere solent, quæ causam iuuant, & utiliora sunt. Sed de hoc orationis artificio, quod τεχνολογίαν uocant, multa habet Rhodolphus Agricola lib. II. De iureiurando.] A' consulibus præstari solito.* Neque enim.] *Cùm deest copiosum scribendi argumentum, tunc per diuersos locos, diuersa orationis mole, facie, ingenio, sæpius idem inculcare solemus. Id Aristo. III. Rhet. exemplo Isocratis, in genere demonstratiuo & deliberatiuo docet. Sed cum uberrima est proposita dicendi materia (ut in hac oratione) tunc diuersis locis diuersa tractamus, nec eidem immoramur.* Diducere ac spargere.] *Sæpius diuersa elocutionis oratione. Diducimus, cùm aliquid in uaria spargimus, & deducimus id, quod tenuius reddimus.* Illuxerat.] *Hactenus ea Plinius recensuit, quæ consulatum præcesserunt: ei tamen ornamentum attulerunt: Nunc ea commemorat, quæ Traianus in ipso cōsulatu gessit. Primùm Traianus*

ianus omnibus quasi signum aliquod ad bene de Republ. sperandum extulisse uidetur, quasi nunc recuperata libertate. Insurgere.] *Acrem operam impendere. Sic Vergil.*

- Nunc nunc insurgite remis.

Omnes.] *Alij principes grauiter quoque ad capessendum imperij curas inhortabantur, sed fictè, subdolè, fraudulenter: propterea eis non credebatur. Traiano idem facienti, ob eximiam uirtutis opinionem credunt omnes.* Erant sub oculis. *Allegoria est, quæ multis metaphoris constat: Metaphora unius est tantùm. Significat hic Plinius ad amplissimos honores & maximas opes blandè euectos fuisse, sed posteà Tyranni inuidia moti, eos turbinis instar ex alto honoris fastigio deturbarunt.* Sub oculis.] *Pericula, interitus, calamitates multorum coràm conspiciebantur.* Insidiosa tranquillitate.] *Insidijs plena.* Prouectos.] *Promotos.* Turbo perculerat.] *Tempestas deiecit.* Quod enim.] *Perstat in metaphora, & perfidos principes infido comparat mari.* Blanditiæ.] *Ad Domitianum & Tiberium hoc referri potest. Hi enim illis maximè blandiebantur, quos necare cupiebant.* Te verò securi.] *Sine metu.* Iubes esse liberos.] *Elegans προσαπόδοσις. Quæ figura est, cùm duobus aut tribus propositis, unicuique sua subijcitur ratio.* Terror.] *Quo alios trepidare facimus: metus, quo ipsi trepidamus.* Misera prudentia.] *Aliorum infortunijs. huc pertinet apologus Aesopi de diuisione facta inter lupũ, uulpem & Leonem.* Nulla Respubl.] *Nimium dominantibus Tyrãnis.*

At nunc tua dextera, tuísque promissis freti & innixi, obsepta diutina seruitute ora reseramus, frænatámque tot malis linguam resoluimus. Vis enim taleis esse nos, qualeis iubes: nihílque exhortationibus tuis fucatum, nihil subdolum, denique quod credentem fallere paret non sine periculo fallentis, Neque enim vnquam deceptus est princeps, nisi qui prius ipse decepit. Equidem hunc parentis publici sensum, cùm exhortatione eius, tum pronunciatione ipsa perspexisse videor. Quæ enim illa grauitas sententiarum? quàm inaffectata veritas verborum? quæ adseueratio in voce? quæ affirmatio in vultu? quanta in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore fides? Tenebit ergo semper, quod suaserit: sciétque nos, quoties libertatem, quam dedit, experiemur, sibi parere: nec verendum est, ne incautos putet, si fidelitate temporum constanter vtamur, quos meminit sub malo principe aliter vixisse. Nuncupare vota & pro æternitate imperij, & pro salute ciuium imò pro salute principũ, ac propter illos pro æternitate imperij solebamus. Hæc pro imperio nostro, in quæ sint verba suscepta, operæ pretium est adnotare, si bene Rẽpub. & ex vtilitate omnium rexeris. Digna vota, quæ semper suscipiantur, sempérque soluantur. Egit cum dijs, ipso te autore Cæsar Respub. vt te sospitem, incolumémque præstarent, si tu cæteros præstitisses: si contrà, illi quoque à custodia tui corporis oculos dimouerent: téque relinquerent votis, quæ non palàm susciperentur. Alij se superstites reipub. optabant, faciebántq;. Tibi salus tua inuisa est, si non sit cum Reipub. salute coniuncta, nihil pro te pateris optari, nisi expediat optãtibus, omnibúsque annis in consilium de te deos mittis, exigísque, vt sententiam suam mutent. si talis esse desieris, qualis electus es.

COMMENTARIVS.

Tua dextra.] *Fide. Numa pompilius dextram manum fidei*

fidei consecrauit. Vnde Antiqui *dextra se uenerabantur, per dextram iurabant, tanquam fidei sedem, & uirtutis ministram.* Sinistra manus (*authore* Apuleio) *æquitati sacra fuit, quòd nulla calliditate, nulla solertia sit prædita.* Plautus *tamen & Catullus furtiuam appellant.* Ora obsecta.] *Clausa, obturata.* Diutina seruitute.] *Qua Domitianus quindecim annos populum oppreßit.* Frænatam.] *Cohibitam.* Resoluimus.] *Relaxauimus.* Fucatum.] *Simulatum, insyncerum. Fucus quandoque est omnis color siue medicamentum, quo mulieres ad candorem inducendum, aut ruborem uti solent. Cuiusmodi colores tres sunt, qnibus mulieres fucum facere solent. Primus, stibium, quo oculi nigricant, secundus, purpurissum, qui ualet ad genas tingendas. Tertius color cerussa, qui ualet ad candorem inducendum.* Nõ sine.] *Sic enim natura comparatum est, ut hi qui alios circumueniũt, circumueniantur.* Neque enim.] *Locum superiorem sententia confirmat, & signis indiciisque probat Traianũ uelle esse ciues, quales iubet.* Parentis publici.] *Traiani patris patriæ.* Pronuntiatione ipsa.] *Ipsa pronuntiatio est quandoque indicio homines id uelle, aut nolle, quod dicunt.* Quæ enim.] *Distributio, qua ostendit pronuntiationem Traiani indicare ea, quæ Traianus fieri cupit.* Inaffectata veritas.] *Veritas enim amica est simplicitatis.* Et *ut Euripides ait:* ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας. *Constans etiam affirmatio probationis loco ducitur.* Quanta in oculis.] *Probabilia hæc sunt. Vt enim oculi, uultus, sermo sæpe mentiuntur: ita etiam plerunque ueritatis indicia sunt.* Tenebit.] *Princeps obseruabit. Nuncupare, uota concipere, pronuntiare.* In quæ sint verba.] *In quas formas.* Si bene Rempublicam.] *Forma uoti, quod Traianus princeps pro Republica nuncupabat.* Egit.] *Tractauit, pacta est.* Alij se superstites.]

Ex

Ex horum numero Nero fuisse fertur, qui optabat etiam se uiuo, ut terra incendio flagraret. Tibi salus tua.] *Hic Plinius ostendit, amantißimum suum erga Rempubl. pectus. Similis locus est pro M. Marcello: Cæsaris salute Reipub. salus nititur.* Omnibus annis.] *Tenuit Romæ consuetudo, ut singulis annis consules uota pro principis salute conciperent, Et idem prouinciarum præsides, cum militibus & prouincialibus faciebant.* In consilium.] *In deliberationem. Quid sit mittere in consilium, docet D. Budæus in adnotation. in Pandectas. Sententiam suam mutent.*) *Te malè perdant.* Qualis electus es.] *Bonus, probus.*

Sed ingenti conscientia Cæsar, qua pacisceris cũ dijs vt te, si mereberis, seruent: cum scias, an merearis, nemi nem magis quàm deos scire. Nónne vobis Patres conscript. hæc diebus ac noctibus agitare secum videtur? Ego quidem in me, si omnium vtilitas ita posceret, etiã præfecti manum armaui: sed ne deorum quidem aut iram, aut negligentiam deprecor, quæso, imò & obtestor, ne vnquam pro me vota Respub. inuita suscipiat, aut si susceperit, inuita ne debeat. Capis ergo Cæsar salutis tuæ gloriosissimum fructum ex consensu deorũ: nam cum excipias, vt ita demum te Dei seruent, si bene Rempublicam & ex vtilitate omnium rexeris, certus es, te bene Rempublicam gerere, cum seruent. Itaque securus tibi, & lætus dies erit, qui principes alios cura, & metu destinebat, cum suspensi, & attoniti, parúmque confisi patientia nostra, hic atque inde publicę seruitutis nuntios expectarent, ac si forte aliquos flumina, niues, venti præpedissent, statim hoc illud esse credebant, quod merebantur: nec erat discrimen vllum pauoris, propterea, quòd cum à malo principe tanquam

M succ

ſucceſſor timeatur, quiſquis eſt dignior, cum ſit nemo non dignior, omnes timentur. Tuam ſecuritatem non mora nuntiorum, non literarum tarditas differt: ſcis tibi vbique iurari, cum ipſe iuraueris omnibus. Nemo hoc ſibi non præſtat: amamus quidem te inquantum mereris: iſtud tamen non tui facimus amore, ſed noſtri: nec vnquam illuceſcat dies, quo pro te nuncupet vota non vtilitas noſtra, ſed fides Cæſar. Turpis tutela principis, cui poteſt imputari. Queri libet, quòd in ſecreta noſtra non inquirant principes, niſi quos odimus. Nam ſi eadem cura bonis, quæ malis eſſet, quam vbique admirationem tui, quod gaudium exultationémque deprehenderes? quos omnium cum coniugibus, ac liberis quos etiam cum domeſticis aris, focíſque ſermones? Scires molliſsimis iſtis auribus parci: & alioqui cum ſint odium amórque cõtraria, hoc perquàm ſimile habent, quòd ibi intemperantius amamus bonos principes, vbi liberius malos odimus. Cepiſti tamen & affectus noſtri, & iudicij experimentum, quantum maximum pręſens capere potuiſti illo die, quo ſolicitudini, pudoriq; candidatorum ita conſuluiſti, ne vllius gaudium alterius triſtitia turbaret: alij cum lętitia, alij cum ſpe receſſerunt, multis gratulandum: nemo conſolandus fuit. Nec ideo ſegnius iuuenes noſtros exhortatus es, conſulatum circumirent, ſenatui ſupplicarent, atque ita à principe ſperẽt honores, ſi à Senatu petiſſent. Quo quidem in loco, ſi quibus opus exemplo, adieciſti, vt te imitarentur.

COMMENTARIVS.

Sed ingenti.] *Magna enim fiducia. Videtur Plinius occurrere tacitæ obiectioni. Traianus tam diris uotis ſe non aſtringeret, niſi certò ſciret ſe omnia ex Reipubl. utilitate geßiſſe.* An merearis.] *Dignus ſis, qui ſerueris.* Neminem magis quàm Deos ſcire.] *Dij enim omnia ſciunt. Homerus Iliados β.*

Ὑμεῖς γὰρ θεαὶ ἐστὲ, παρέστετε ἴστε τε πάντα.

Et Iliados γ.

Ζεὺς μὲν πῶ τόγε οἶδε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.

Ariſtote. Περὶ ποιητικῆς: ἅπαντα ἀποδίδομεν τοῖς θεοῖς ὁρᾷν. *Dijs enim incognitum nihilq; occultum fuit unquám. Hinc Thales philoſophus interrogatus, an facta hominum Deos fallerent, Nec cogitata, inquit. Vt non ſolùm manus ſed etiam mentes puras habere uelimus. Cùm ſecretis cogitationibus noſtris cœleſte numen adeſſe credidiſſemus. Valerius lib. VII. Vnde dæmones dicti quaſi δὲ ἥμονες, omnium uerum ſcientes.* Agitare.] *Tractare.* Manum armaui.] *Nimirum nudum illi porrigens gladium. quo pro me uteretur, ſi bene Rempubl. regerem, contra me uerò, ſi malé. Qua de re uidendus eſt Dion in uita Traiani.* Deprecor.] *Precibus auerto.* Capis ergo.] *Laus à fructu, quem ex Deorum conſenſu capit.* Glorioſiſsimum fructum.] *Laudatißimum. Sic Cicero glorioſißimum laborem dixit.* Nam cum.] *Argumentum ab euentu.* Excipias.] *Sub hæc conditione ſtatuas.* Itaque ſecurus.] *Calendis Ianuarijs populus pro principe uita faciebat. Et milites in caſtris, militiæ ſacramenta per nomen principis iurantes præſtare ſolebant.* Lætus dies.] *Quo pro te omnes nuncupabant uota.* Diſtinebat.] *Excruciabat. Differebat. Eſt autem metaphora ſumpta à fidiculis, genere tormenti, quo membra huc illuc ex ſuis internodijs, neruis, tendonibus, articulis, loculamentis diſtrahuntur.* Hinc atque hinc.] *Ex diuerſis prouincijs.* Venti præpendiſſent

ſent.] *Quo minus ad tempus præſcriptum ueniret.* Omnes timentur.] *A' malo principe.* Differt.] *Diſtinet, torquet.* Scis tibi.] *A' natura relatiuorum ratiocinatur.* Iuraueris omnibus.] *In omnium utilitatem.* Nemo hoc ſibi non.] *Omnes hoc faciunt, non tam ob tuum quàm Reipublic. commodum.* Nec vnquàm.] *Precatur Plinius, ut populus Romanus nunquàm uota faciat pro fide, religione Cæſaris. Hoc enim eſſet argumentum Cæſaris fidem labefactatam eſſe. Sed pro utilitate omnium. Hoc enim quandiu fiet, indicium eſt Cæſarem Rempubl. ex omnium utilitate regere.* Turpis tutela principis.] *Breuis hæc ſententia eſt, ſimilitudine implicita. Quemadmodum tutor in tutelæ adminiſtratione omnia ad pupilli commodum referre debet: Ita princeps, qui Rempub. in ſuam ueluti tutelam recepit, ſic eam regere debet, ut nihil ei imputari poſſit.* Quod in ſecreta.] *Non inquirant quid de illis ſentiamus. Nullum faciant ſcrutinium.* Principes.] *Boni.* Nam ſi eadem.] *Si boni principes inquirerent quid de ſe priuati ſentirent, magnam caperent uoluptatem.* Quos etiam.] *Deprehenderes in lararijs. Vnde natum eſt illud, pugnare pro aris, & focis, hoc eſt, pro re chariſſima. Nam in domo erant aræ, & in foco Lararium, hoc eſt, locus penitior, in quo lares colebantur.* Molliſsimis auribus.] *Verecundis, quæ præ pudore laudes ſuas audire refugiunt. Peregrinæ aures Ciceroni dicuntur, quæ non attendunt ad ea, quæ dicuntur. Teretes & religioſæ aures eidem dicuntur, quæ nihil niſi doctum & excultum admittunt.* Intemperantius.] *Effuſius.* Illo die.] *Argumentum eſt à tempore, quo Traianus res pugnantes ita temperauit, ut altero alteri non officeret.* Vllius gaudium.] *Qui magiſtratum conſecutus erat.* Alterius triſtitia.] *Qui repulſam paſſus erat.* Alij cum ſpe.] *Adipiſcendi Magiſtratus.*

Nemo

Nemo fuit conſolandus.] *Qui repulſam paſſus erat.* Circumirent.] *Ambirent. Quanta ſit opus diligentia in Magiſtratuum petitione, conſtat ex libello de petitione conſulatus.* Opus exemplo.] *Erat.* Te imitarentur.] *Tanquàm exemplum propoſitum.*

Arduum Cæſar exemplum, & quod imitari non magis quiſque candidatorum, quàm principum poſsit. Quis enim vel vno die reuerentior Senatus candidatus, quàm tu? cùm omni vita, tum illo ipſo tempore, quo iudicas de candidatis? An aliud à te quàm Senatus reuerentia obtinuit? vt iuuenibus clariſsimę gentis debitum generi honorem, ſed antè quàm deberetur, offerres? Tandem ergo nobilitas non obſcuratur, ſed illuſtratur à principe: tandem illos ingentium virorum nepotes illos poſteros libertatis nec terret Cęſar, nec pauet: quinimo feſtinatis honoribus amplificat, atque auget, & maioribus ſuis reddit, ſi quid vſquam ſtirpis antiquę, ſi quid reſiduę claritatis, hoc amplexatur, & refouet, & in vſum Reip. promit. Sunt in honore hominum. Et in honore famę magna nomina ex tenebris obliuionis indulgentia Cęſaris, cuius hęc intentio eſt, vt nobileis & conſeruet, & efficiat. Prefuerat prouincię quęſtor vnus ex candidatis. in quem ea ciuitas ampliſſima redditus egregia conſtitutione fundauerat, hoc ſenatui allegandum putaſti. Cur enim te principe, qui generis tui claritatem virtute ſuperaſti, deterior eſſet conditio eorum, qui poſteros habere nobiles mererentur quàm eorum, qui parentes habuiſſent? O' te dignum, qui de magiſtratibus noſtris ſemper hæc nunties, nec pœnis malorum, ſed bonorum præmijs bonos facias. Accenſa eſt iuuentus, erexitq; animos ad æmulandũ

quod laudari videbat: nec fuit quisquam, quem nõ hæc cogitatio subiret, cum sciret quicquid à quoque in prouincia bene fieret, omnia te scire. Vtile est Cæsar, & salutare præsidibus prouinciarum hanc habere fiduciam, & paratum esse sanctitati industriæ suæ maximum præmium, iudicium principis, suffragium principis. Adhuc autem quamlibet syncera, rectáque ingenia, etsi non detorquebat, hebetabat tamen misera, sed vera reputatio.

COMMENTARIVS.

Arduum Cæsar.] *Difficile est per omnia imitari Traianum, qui tanta modestia in petitione cõsulatus princeps usus est, & omni uirtutum choro septus fuit. Est autem exemplum (authore Fabio) rei gestæ, aut ut gestæ utilis ad persuadendum commemoratio.* Reuerentior.] *Honorabilior.* Iudicas de candidatis.] *Ambientibus Magistratum.* Sed antequàm.] *Lex annalis erat Romæ, ut ante trigesimum annum nemo cõsulatum peteret, sed hac lege primus solutus fuit, Scipio Africanus. Iuuenes, quibus Traianus debitum obtulit honorem, candidum & quadratum possumus intelligere, Qui iterum consules à Traiano creati fuerunt. Author Lampridius. De lege annali. Vide Ciceronem v. Philippica eo loco, quæ ætas est minor uiginti annis.* Tandem ergo.] *Nero, Domitianus & reliqua Tyrannorũ turba nobilitati infensissima erat. Eã non solùm deprimebat, obscurabat, sed è medio tollebat. Tyranni enim meliores, potentiores ferre non possunt. Eandem sæuitiam Turca etiamnum exercet. Non solùm enim strenuos & potentes futuros enecat, sed etiam proprios liberos, quos florentes fore timet, extinguendos curat. Sic olim miraculum erat, nobilem uidere senem. At Traianus nobilitatem exornat, & illustrat, & eam cumulatissimè honoribus adornat.* Ingentium virorum.] *Camillorum, Scipionum, Africanorum.* Libertatis.] *Veteris. Et qui huic libero seculo seruati sunt.* Festinatis honoribus.] *Acceleratis, & ante tempus conceßis.* Maioribus suis.] *Naturalibus.* Reddit.] *Reddimus quocunque modo, sed restituimus quod omnibus suis patribus integrum & perfectum reddimus. Author Donatus in Terentium.* Stirpis antiquæ.] *Nobilitatis.* Promit.] *In lucem profert, producit, promouet. Metaphora à penu sumpta.* Sunt in honore.] *Petrus Nannius uir exacti iudicij solidæq; eruditionis, & qui in bonis authoribus emaculandis, purgandisq; bonam nauauit operam, existimat hîc non malè legi in re hominum, & in ore famæ. Quæ lectio hunc locum & faciliorem & illustriorem reddit.* Magna nomina.] *Magnæ familiæ.* Ex tenebris obliuionis.] *Quæ æterna obliuione sepultæ erant.* Indulgentia.] *Benignitate, beneficentia.* Et efficiat.] *Princeps enim nobiles efficit, uel iure aureorum anulorum, uel ob alia insignia facta. Si ueram nobilitatis originem spectemus, profectò omnis nobilitas ex uirtute orta est. Qua de re egregius est locus apud Aristotelem lib. 1. Rhetoric. Ibi, εὐγένεια μὲν &c. Eguinarius Baro multa de nobilitatis origine, cap. 1111. secundi libro de acquirendo beneficio.* Egregia constitutione.] *Ob egregiam constitutionem ab eo quæstore factam.* Putasti.] *Pro commendatione uirtutum eius. Candidatorum enim præclarè facta præcones in comitijs commemorabant.* Virtute superasti.] *Traianus enim genius suum rerum gestarum gloria illustrauit.* Posteros.] *Hi noui homines dicebantur.* Qui parentes.] *A parentibus claritatem generis accepissent. Duo hominum genera Plinius indicat. Alterum, quod habet causam celebritatis & nominis à parentib*

rentibus. Alterum quod uirtute sua & rebus gestis clarum euasit. Vtrunque Traianus ad honores promouere studuit. O te dignum.] *Exclamatio per admirationem.* Cogitatio subiret.] *Cui non in mentem uenerit.* Præsidibus prouinciarum.] *Præsidis nomen generale est. Nam proconsules legatos Cæsaris, & omnes qui prouincias regunt, complectitur. l. j. de offic. præsid.* Fiduciam.] *Certam expectationẽ.* Hebetabat.] *Cùm uiri boni in malos principes intuentur, & indignos beneficijs ab ijs ornari uident, id eos uehementer excruciat.*

Vides enim si quid bene fecero, nesciat Cæsar: aut si scierit, testimonium non reddet. Ita eadem illa seu negligentia, seu malignitas principum, cum malè consultis impunitatem, rectè factis nullum præmium pollicereturnec illos à crimine, & hos deterrebat à laude. At nunc si bene aliquis prouinciam rexerit, huic quæsita virtute dignitas offertur: patet enim omnibus honoris & gloriæ campus: ex quo quisque quod cupit, petat, & assecutus sibi debeat. Prouincijs quoque in posterum & iniuriarum metum, & accusandi necessitatem remisisti. Nam si præfuerint, quibus gratias egerint, de nullo queri cogentur: & alioqui nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores, quàm peractos optimè magistratus. Magistratus magistratu, honore honor petitur. Volo ego, qui prouinciam rexerit, non tantùm codicillos amicorum, nec vrbana coniuratione eblanditas preces, sed decreta coloniarum, decreta ciuitatum alleget. Næ suffragijs consularium virorum vrbes, populi, gentes inseruntur. Efficacissimum pro candidato genus est rogandi, gratias agere. Iam quo adsensu senatus, quo gaudio exceptum est, cum candidatis, vt quenque nomina

minaueras, osculo occurreres: deuexus quidem in planum, & quasi vnus ex gratulantibus. Te mirer magis, an improbem illos, qui effecerunt, vt illud magnum videretur? cum velut affixi curulibus suis manum tantũ, & hanc cunctanter, & pigrè, & imputantibus similes promerent. Contigit ergo oculis nostris insolita facies princeps & candidatus æquales & simul stantes, intuerique parem accipientibus honorem qui dabat. Quod factum tuum à cuncto senatu quàm vera adclamatione celebratum est, tanto maior, tanto augustior.

COMMENTARIVS.

Vides enim.] *Morum expressio. Benefacta sub malis principibus aut ignorantur: aut si ea principes scierint, non pensant. Locus corruptus est, & non reddet, legendum.* Nec illos.] *Malè consultos.* Et hos.] *Qui rectè fecissent.* At nunc.] *Sub Traiano.* Patet omnibus.] *Sic Cicero in oratione cõtra Rullum: Eum locum, quem nobilitas præsidijs firmatum atque omni ratione obualatum tenebat, me duce rescidistis, Virtutique in posterum patêre uoluistis.* Sibi debeat.] *Suæ adscribat uirtuti.* Prouincijs quoque.] *Liberasti prouincias à metu iniuriarum. Quia boni prouincijs præponentur.* Et à necessitate accusandi.] *Quia bonos accusare non erit necesse.* Peractos.] *Qui bene & utiliter priores Magistratus administrauerat, ei cursus faciles ad insequentes patebat. Vnde Cicero cùm probè ædilitatem, & quæsturam gessisset, amplissimum fructum, scilicet præturam est consecutus.* Profuerint.] *Prætores, Quæstores, quibus prouinciales gratias agere solebant. Postea quàm proconsules, Quæstores & cæteri, qui prouincias administrabant officio suo abierant, legati è prouincia Romam mittebantur,*

qui proconsulem laudabant. Codicillos.] *Epistolas.* Vrbana coniuratione.] *Scurrili.* Eblanditas preces.] *Precibus impetratas.* Decreta coloniarum.] *Minorum urbium, quæ Metropolitanæ iure utuntur.* Alleget.] *Horum omnium testimonio confirmet se integerrimè in prouincia uersatum esse.* Populi, gentes.] *Gens quandoque minus est, quàm populus, cùm dicitur de familia ampliata, & ijs, qui eiusdem familiæ sunt. Vnde etiam gentiles dicuntur. Quandoque gens est, plus quàm populus: ut cùm multi populi sub una gente esse dicuntur.* Gratias agere.] *Cùm ei, qui candidatus est pro prouincia bene administrata gratiæ aguntur.* Deuexus in planum.] *Stans in plano, non in sella curuli sedens.* Temiror.] *Amplificatio per dubitationẽ.* Cunctanter.] *Cum hæsitatione & despectu.* Imputantibus.] *Pro magno beneficio numerantibus.* Insolita facies.] *Inauditum spectaculum.* Aequales.] *Aequali statione.* Tanto maior.] *Fuisti.* Augustior.] *Nobilior.*

Nam cui nihil ad augendum fastigium superest, hic vno modo crescere potest, si seipse submittat, securus magnitudinis suæ. Neque enim ab vllo periculo fortuna principum longius abest, quàm ab humilitate. Mihi quidem non tam humanitas tua, quàm intentio eius admirabilis videbatur. Quippe cum orationi oculos, vocem, manum commodares, vt si alij eadem ista mandasses, omnes comitatis numeros obibas: atque etiã cum suffragatorum nomina honore, quo solent, exciperentur, tu quoque inter excipientes eras, & ex ore principis ille senatorius adsensus audiebatur: quódque apud principem perhibere testimonium merentibus gaudebamus, perhibebatur à principe.

COM

COMMENTARIVS.

Nam.] *Cum Traianus in summo honoris fastigio staret, se submisit, & sic modestia factus est maior. Quantò enim maiores sumus, tantò nos submissiùs gerere debemus.* Securus magnitudinis suæ.] *In tuto collocatam habens magnitudinem suam. Sic Quintil. lib. VIII. in quod sæpe etiam incidit Cicero, securus tam paruæ obseruationis, hoc est, non curans eam obseruationem.* Humilitati.] *Vilitati. Est enim humilitas contraria sublimitati, quæ à principe abesse non potest.* Intentio.] *Sedulitas, industria. Intentio, propriè animi consilium est, & quod quis animo destinat. Hic pro industria & sedulitate ponitur.* Quippe.] *Laus à decora pronuntiatione.* Magnum.] *Gestum.* Comitatis.] *Benignitatis.*

Faciebas ergo cùm diceres, optimos nec ipsorũ modò vita à te, sed iudicium senatus comprobabatur: ornaríque se non illos magis, quos laudabas, lætabatur. Nam quod precatus es, vt illa ipsa ordinatio comitiorum bene, ac feliciter eueniret nobis, reipub. nónne tibi tale est, vt nos hunc ordinem votorum conuertere debeamus? deos denique obsecrare, vt omnia quæ facis, quæque facies, prospere cedant tibi, reipub. nobis, vel si breuius sit optandum, vt vni tibi, in quo & resp. & nos sumus?

COMMENTARIVS.

Faciebas.] *Cùm Traianus candidatus laudaret, & eos optimos diceret, facere uidebatur. Tanti Traiani iudicium fiebat.* Iudicium senatus.] *De candidatis.* Ornaríque se.] *Subdifficilis hic locus est. Senatus magis lætabatur se ornari à Traiano, quàm candidatos. Quia senatus iudicium à*

Traia

Traiano probabatur. Nam quod.] *Similis locus est in oratione pro Murena.* Bene & feliciter.] *Duo hæc rectè coniunxit. Nam potest aliquid bene euenire, quod tamen non feliciter contingit: ut quod honestè nobis & ex uirtute contingit, sed non habet felicem euentum.* Vel si breuius.] *Quia in principis salute Reipubl. & Senatus incolumitas tanquàm in tutela quiescit.*

Fuit tempus, ac nimium diu fuit, quo alia aduersa, alia secunda principi, & nobis: nunc communia tibi nobiscum tam læta, quàm tristia, nec magis sine te nos esse felices, quàm tu sine nobis potes. An si posses, in fine votorum adiecisses, vt ita precibus tuis dij annuerent, si iudicium nostrum mereri perseuerasses? Adeò nihil tibi amore ciuium antiquius, vt antè à nobis, deinde à dijs, atque ita ab illis amari velis, si à nobis ameris. Et sanè priorum principum exitus docuit, ne à dijs quidem amari, nisi quos homines ament. Arduum erat has precationes tuas laudibus adæquare, adæquauimus tamẽ. Qui amoris ardor? qui stimuli? quæ faces, illas nobis acclamationes subiecerunt? Nõ nostri Cæsar ingenij, sed tuæ virtutis, tuorúmque meritorum voces fuerũt, quas nulla vnquam adulatio inuenit, nullus cuiusquam terror expressit. Quem sic timuimus, vt hæc fingeremus? quem sic amauimus, vt hæc fateremur? Nosti necessitatem seruitutis, quando simile aliquid audisti, & quando dixisti. Multa quidem excogitat metus, sed quæ appareant quæsita ab inuitis: aliud solicitudinis, aliud securitatis ingenium est: alia tristium inuentio, alia gaudentium. Neutrum simulationes expresserint: habent sua verba miseri, sua verba felices, vt quæ iam maximè ab vtrisq; dicantur. Testis ipse es, quæ in omnium ore

læti

lætitia: non amictus cuiquam, non habitus, quem modò extulerat, inde resultantia vocibus tecta: nihílque tantis clamoribus satis clausum. Quis tunc non è vestigio suo exiluit? quis exiluisse sensit? Multa fecimus sponte, plura instinctu quodam & imperio. Nam gaudio quoq; cogendi vis inest. Num ergo modum ei tua saltem modestia imposuit? nam quantò magis à te reprimebatur, exarsimus, non contumacia Cæsar: sed vt in tua potestate est, an gaudeamus, ita inquantum nec in nostra.

COMMENTARIVS.

Fuit tempus.] *Ad Domitiani imperium respicit, in quo inter senatores & principes maximæ dissensiones extiterũt.* An si posses.] *Velles esse felix sine nobis.* Precibus tuis annuerent.] *Ratas tuas haberent preces.* Si iudicium nostrum.] *Si à nobis dignus iudicareris.* Adeò nihil.] *Suprà dixit, frustra se terrore cinxerit, qui septus charitate non fuerit: Armis enim arma irritantur.* Ab amore Traiani, *de quo hactenus locutus est, ad ciuium amorem transit.* Antiquius.] *Charius.* Vt antè à nobis.] *Velis amare.* Si à nobis ameris.] *Amor hominum est argumentum nos à Dijs amari. Dij dicuntur communiter φιλάνθρωποι, id est, hominum amatores, quia quos homines ob uirtutem amant, eos Dij quoque amore dignos censent.* Priorum principum.] *Tacitè exemplis locum superiorem probat. Caius, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Domitianus, uitæ calamitosos & miseros habuerunt exitus, & Dijs & hominibus odiosi erant.* Amoris ardor.] *Amplificatio amoris ciuium erga Traianum, per incrementum.* Illas acclamationes.] *Illos applausus.* Nostri ingenij.] *Acclamationes populi, Virtutis Tra*

iani

iani indice fuerunt. Quem ſic.] *Principem.* Hæc fingeremus.] *Acclamationes has & uoces.* Sic amauimus.] *Verè, ſyncerè.* Noſti neceſsitatem.] *Sub Domitiano.* Multa excogitat metus.] *Ingenioſior eſt ad excogitãdum ſimulatio ueritate, ſeruitus libertate.* Quæſita.] *Extorta.* Ingenium eſt.] *Dexteritas ingenij.* Neutrum ſimulationis.] *Simulatio poteſt fingere triſtitiam, gaudium, ſe uerò ſolidè exprimere non poteſt.* Habent ſua verba.] *Locus à differentia.* Miſeri felices.] *Horum propria & conuenientia uerba ſunt, quibus miſeri altam animo preſſam calamitatem exprimunt. Et felices ſolidum illud internum gaudium exprimunt. Eſt ueriſimum, ſermonem eſſe animi indicem, & quo animi ſenſa explicamus.* Id *quod Ariſtoteles initio* περὶ τῆς ἑρμηνείας *his uerbis expreſſit:* ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ γράμματα τῶν ἐν τῇ φωνῇ: *ea quæ ſunt in uoce, ſunt earum paſſionum, quæ in anima ſunt indicia, & ſcripta ipſarum uocum notæ ſunt.* Teſtis ipſe es.] *A' teſtimonio Traiani lætitiam omnium probat.* Non amictus cuiquam.] *Mutatus fuit. Eſt autem amictus ratio ueſtiendi. Hinc fieri poteſt, ut in eodem ueſtimento diuerſus ſit amictus. Si enim ueſtis modò ultra genua demittatur, modò ſupra genua tollatur, modò in humeros reijciatur, modò demittatur, amictus mutabitur.* Non habitus.] *Mutatus fuit. Habitus, eſt animi: habitudo, corporis.* Reſultantia.] *Reſonantia.* Clauſum.] *Occluſum.* Facimus ſponte.] *De his, quæ ſponte & ex electione fiunt, elegans eſt apud Ariſtotel. I. ad Theod. diſputatio. Et III. Ethicor.* Inſtinctu.] *Impulſu.* Imperio.] *Vi quadam.* Nam gaudio quoque.] *Multi enim præ nimio gaudio expirauerunt. De quo uide Aulum Gellium lib. III. cap. XV.* Ei.] *Gaudio.* Exarſimus.] *Inflammati ſumus.* In quantum.

tum.] *Quatenus, ad quem modum.*

Comprobaſti & ipſe adclamationum noſtrarum fidem lacrymarum tuarum veritate. Vidimus humeſcenteis oculos tuos, demiſſúmque gaudio vultum, tantúmque ſanguinis in ore, quantum in animo pudoris. Atque hoc magis incenſi ſumus, vt precaremur, ne quãdo tibi non eadem cauſa lacrymarum, vtq; nunquam non frontem tuam abſtergeres. Hoc ipſum, has ſedes, nobis quaſi reſponſuras interrogemus, viderintne vnquam principis lacrymas? at ſenatus ſæpe viderũt. Onerasti futuros principes, ſed & poſteros noſtros. Nam & hi à principibus ſuis exigent, vt eadem audire mereantur, & illi quòd non audiant indignabuntur. Nihil magis poſſum propriè dicere, quàm quod dictum eſt à cũcto ſenatu, O' te felicem, quod cùm diceremus, non opes ſed animum mirabamur. Eſt enim demum vera felicitas, felicitate dignum videri. Sed cum multa illo die dicta ſunt ſapienter, & grauiter, tum vel in primis hoc, Crede nobis, crede tibi. Magna hoc fiducia noſtri, maiore tamen tui diximus: alius enim fortaſſe alium, ipſum ſe nemo deceperit: introſpiciat modò vitam, ſéque quid mereatur, interroget. Proinde dabat vocibus noſtris fidem apud optimum principẽ, quod apud malos detrahebat. Quamuis enim faceremus, quæ amantes ſolent, illi tamen non amari ſe, credebant ſibi. Super hæc precati ſumus, vt ſic te amarent dij, quemadmodum tu nos. Quis hoc aut de ſe, aut principi diceret mediocriter amanti? Pro nobiſipſis quidem hæc fuit ſumma votorum, vt nos ſic amarent dij, quo modo tu. Eſt'ne verum, quòd inter iſta clamauimus? O' nos felices! quid enim felicius nobis? quibus non iam illud optandum

dum eſt, vt nos diligat princeps, ſed Dij, quemadmodum princeps.

COMMENTARIVS.

Comprobaſti.] *Pathetica eſt oratio, qua oſtendit Traianum acclamationes populi præ nimio gaudio comprobaſſe.* Fidem.] *Veritatem.* Humeſcentis oculos.] *Lachrymis paululum madeſcentes. Gaudium enim non ſolet imbres lachrymarum fundere.* In ore.] *Pudor aliud nihil eſt, quàm ſanguis in genis ſuffuſus. Cum enim aliquem alicuius pudet, id natura, quæ omnis pudicitiæ parens eſt, tegit.* Atque hoc magis.] *Optat Plinius, ut Traianus ob hanc cauſam, nempe ſolidi gaudij & lachrymas fundat, & frontem abſtergat. Vt quæ nunquàm non legendum eſt.* Oneraſti.] ἐπιμονή. Nihil magis.] *Redit ad acclamationem ipſius Senatus.* Non opes tuas, *Stoicum agit: qui felicitatem ſolis animi bonis metiuntur: Peripatetici autem corporis bona & fortunæ commoda etiam enumerãt. Qua de re prolixa eſt diſputatio apud Ariſt. lib. 1. & .x. Ethic. Diogenes Laërtius in uita Platonis quinquepartitam felicitatem commemorat. Prima eius pars, eſt bene conſulere. Secunda, ſenſibus & bona corporis ualetudine uti. Tertia, in rebus gerendis fortunatum eſſe. Quarta, gloria & authoritate apud homines ualere. Quinta, pecunijs rebúſque cæteris affluere.* Eſt enim.] *Sententia locum ſuperiorem comprobat. Dignus is eſt felicitate, qui probus eſt, & de quo homines eximiam uirtutis opinionem conceperunt.* Sed cum multa.] *Tranſitio ad aliam acclamationem Senatus.* Illo die.] *Quo hæ acclamationes celebratæ ſunt.* Sapienter & grauiter.] *Sapienter ad indicium uerum animi refertur: grauiter ad rerum fidem.* Crede nobis.] *In his, quæ de te dicimus. Vt nullum eſt maius concordiæ uinculum, quàm cùm Senatus & Princeps, idem uolunt, ſentiũntque: ita nulla eſt grauior in Republ. peſtis, quàm cùm Senatus & princeps mutuis diſſident odijs.* Alius fortaſſe.] *Cùm agit & ſimulat.* Ipſum ſe.] *Quidam hoc loco legere malũt, ipſus ſe nemo deceperit: ut ipſum ſuppoſitiũ & adulterinum ſit. Eſt autem ratio huius, quia unuſquiſque ſe, modò non habeat principia labefactata, planè nouit. Sed cum hoc Plinij loco ex diametro pugnat, id quod Demoſthenes* 111. *Olynthiaca ſcribit:* Διόπερ ῥᾷστον ἁπάντων ἐστὶν αὐτὸν ἀπατᾶσθαι: *hoc eſt, Quare omnium facillimum eſt ſeipſum decipere. Hic nodus prima facie indiſſolubilis uidetur. Diſſolui tamen poteſt (ut mihi uidetur) ex ſtatu finitiuo. Cùm Plinius hîc ait, ſe nemo deceperit, uerbum decipere, propriè ſumit pro eo quod eſt aliud facere, & aliud ſimulare: quo ſenſu nemo ſe decipere poteſt. At Demoſth. cùm dicit facillimum eſſe ſeipſum decipere, uerbum* ἀπατᾶν, *ad animi fictionem, non ad dolum retulit. Loquitur enim Demoſthenes de his, qui pecuniam in ea, quæ non oportet conſumunt, qua deinde in rebus neceſſarijs egẽt. In quibus rationibus Demoſthenes dicit dominari uoluptatẽ. Id enim quod unuſquiſque uult, etiam ſibi fingit, & ſi rerum natura ſæpe alia eſt.* Proinde dabat.] *Acclamationes populi apud bonum principem fidem merebantur, ſed apud malos non.* Te amarent Dij.] *Quia hoc unum Romanæ felicitati deeſt.* Pro nobis ipſis.] *Libera hæc precatio eſt, ſub bono enim principe liberæ uoces ſunt, ſub Tyranno timor metúſque uoces includunt. Sed Tyranno è medio ſublato, omnes id, quod ſentiunt, dicunt. ſic uiuente Hectore nemo Græcorum cum eo, præter Diomedem, Achillem, Aiacem, congredi audebat. Verùm Hectore extincto, omnes haſtas ſuas ſanguine Hectoreo tingere optabant. Sic uiuente Iulio Cæſare, Cicero eum Deum propè faciebat, eo extincto Tyrannum aper*

apertè uocabat. Commodo.] *Deos amas uel nos ipsos.* Intra ista.] *Id'ne uerum est, quod acclamationibus inseruimus. Id enim fieri consueuisse Lampridius in Commodo & Alexandro docet.*

Ciuitas religionibus dedita, sempérque deorum indulgentiam piè merita, nihil felicitati suæ putat adstrui posse, nisi vt Dij Cæsarem imitentur. Sed quid singula consector, & colligo, quasi verò aut oratione complecti, aut memoria consequi possim, quæ vos P.C. ne qua interciperet obliuio, & in publica acta mittenda, & incidenda in ære censuistis? Ante orationes principum tantum eiusmodi genere monimentorũ mandari æternitati solebant: acclamationes quidem nostræ parietibus curiæ claudebantur: erant enim quibus nec senatus gloriari, nec princeps, possent. Has verò & in vulgus exire, & posteris prodi cùm ex vtilitate, tum ex dignitate publica fuit, primum, vt orbis terrarum pietatis nostræ adhiberetur testis & conscius: deinde, vt manifestum esset audere nos de bonis, malísque principibus non tantum post ipsos iudicare: postremò, vt experimento cognosceretur, & ante nos gratos, sed miseros fuisse, quibus esse nos gratos probare antea non licuit. At qua contentione, quo nisu, quibus clamoribus expostulatum est ne affectus nostros, ne tua merita supprimeres? denique, vt in posterum exemplo prouideres. Discant & principes adclamationes veras, falsásque discernere: habeántque muneris tui, quòd iam decipi non poterunt. Non instruendum illis iter ad bonam famam, sed non deserendum: non submouenda adulatio, sed non reducenda est, certum est & quæ facere, & quæ debeant audire, si faciant. Quid nunc ego super ea, quæ

quæ sum cum toto senatu precatus, pro senatu precer, nisi vt hæreat animo tuo gaudium, quod tunc oculis protulisti? Ames illum diem, & tamen vincas: noua merearis, noua audias: eadem enim dici nisi ob eadem facta non possunt. Iam quàm antiquum, quàm consulare, quòd triduum totum senatus sub exemplo patiẽtiæ tuæ sedit, cum interea nihil præter consulem ageres. Interrogauit quisque quod placuit, dissentire, discedere, & copiam iudicij sui Reip. facere, tutum fuit, consulti omnes, atque etiam dinumerati sumus: vicítque sententia non prima, sed melior. At quis antea loqui? quis hiscere audebat, præter miseros illos, qui primi interrogabantur? cæteri quidem defixi, & attoniti ipsam illam mutam, ac sedentariam adsentiẽdi necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur? Vnus, solúsque censebat, quod sequerentur omnes, & omnes improbarent, in primis ipse qui censuerat. Adeò nulla magis omnibus displicent, quàm quæ sic fiunt, tanquam omnibus placeant.

COMMENTARIVS.

Ciuitas.] *Cicero in oratione de Aruspicum responsis, ostendit pontifices Romanos semper sanctos habitos fuisse.* Deorum.] *Deorum enim numine hoc Imperium natum, & auctum est, inquit Cicero.* Incidenda in ære.] *Hic locus ostendit præceptum Laurentij Vallensis non semper esse perpetuum, cùm dicit nos dicere literas in æs incisas, non in ære, lib. III. cap. X.* Has verò.] *Plinius adfert tres rationes cur hæ acclamationes æternitati mandatæ sint.* Primùm.] *Prima ratio.* Deinde.] *Secunda ratio.* Postremò.] *Tertia ratio.* Expostulatum est.] *Efflagitatum, petitum.* Hic

conuincuntur Grammaticuli quidam, qui existimant, expostulare, tantùm conqueri significare. Ne tua.] *Ne prohiberes laudes tuas ob tua in nos merita.* Habeántque muneris tui.] *Id muneri tuo tribuant.* Non instruendum.] *Iam enim iter ad honestatem apertum est.* Sed non deserendum.] *Danda est opera, ne iter uirtutis deseramus.* Nõ submouenda.] *Ea enim iamdudum explosa est.* Quid nunc.] ἀποφία *elegans.* Ames illum diem.] *Quo senatus pro te precatus est. Adhortatio uehemens, ut Traianus factis suis præclaris alia maiora astruat.* Antiquum.] *Laudabile.* Quod triduum.] *Laus ab assiduitate senatus. Et potentia principis in triduo examinati.* Sub exemplo tui.] *Ad tui imitationem.* Dissentire.] *In diuersas partes abire.* Vicítq; sententia.] *Non prima, sed melior. Sub Tyrannis autem, non melior, sed prima sententia uincebat. Hoc iudicium celebratum fuit de Mario Prisco, quem Aphri apud quem proconsulem egerat, repetundarum rerum fecerant. Cuius rei mentio est lib. 11. Epistolarum Plinij: Epistola solet esse gaudio tibi.* Sedentariam.] *Pedaniorum senatorum, & eorum, qui sedendo sententiæ aliorum subscribere cogebantur.* Censebat.] *Pronuntiabat, Sentire animi est, Censere oris, & ore proferre sententiam.* Adeò nulla.] ἐπιφώνημα. Quæ sic fiunt.] *A Tyranno, cùm nemo dissentire audet.*

Fortasse Imperator in Senatu ad reuerentiam eius componebatur, cæterum egressus, statim se recipiebat in principem: omniáque consularia officia abigere, negligere, contemnere solebat. Ille verò ita consul, vt si tantum consul foret, nihil infra se putabat, nisi quod infra consulem esset: ac primum ita domo progrediebatur, vt illum nullus apparatus arrogantiæ principalis, nullus

nullus præcursorum tumultus detineret. Vna erat in limine mora consultare aueis, reuereríq; numinum monitus: nemo perturbabatur, nemo submouebatur: tanta viatoribus quies, tantus pudor fascibus, vt plerumq; aliena turba subsistere & consulem & principem coge ret. Ipsius quidem officium tam modicum, tam temperatum, vt antiquus, aliquisque magnus consul sub bono principe incedere videretur. Iter illi sæpius in forum, frequenter tamen in & campum: nam comitia cõsulum obibat ipse, tantum ex renuntiatione eorum voluptatis, quãtum prius ex destinatione capiebat. Stabant candidati ante curulem principis, vt ipse ante consulis sederat, adigebantúrque in verba, in quæ paulò antè ipse iurauerat princeps, qui tantum putat esse in iureiurando, vt illud & ab alijs exigat. Reliqua pars diei tribunali dabatur. Ibi vero quãta religio æquitatis, quanta legum reuerentia? Adibat aliquis vt principem, respondebat se consulem esse. Nullius ab eo magistratus ius, nullius autoritas imminuta est, aucta etiam: siquidem pleraque ad prætores remittebat, atque ita vt collegas vocaret: non quia populare, gratúmque audiẽtibus, sed quia ita sentiebat. Tãtum dignationis in ipso honore ponebat, vt non amplius esse cẽseret, quòd aliquis collega appellaretur à principe, quàm quòd prætor esset. Ad hæc tam assiduus in tribunali, vt labore refici ac reparari videretur. Quis nostrum idem curæ, idem sudoris sumit? quis adeò expetitis honoribus aut deseruit, aut sufficit?

COMMENTARIVS.

Fortasse Imperator.] *Tyrannus princeps in senatu aliquant*

quantisper se senatui & primo loco sententiam dicenti accommodabat, deinde ad Tyrãnicos mores se recipiebat. In principem.] *In mores Tyranni.* Abigere.] *Articulus, per similiter desinens.* Præcursorum.] *Anteambulonum.* In limine.] *Antiqui sanctissimè auspicia obseruabant. Cuius rei hic locus etiam argumento est.* Viatoribus.] *Apparitoribus.* Fascibus.] *Consulibus.* Ipsius quidem officiũ.] *Ostendit quàm modestè & strenuè Traianus consulis munus obierit.* Renuntiatione.] *Declaratione, creatione.* Ex destinatione.] *Cùm animo præsagiebat eos fore consules. Destinare consulem, est animo concipere, & præsagire aliquem fore consulem. Renuntiare consulem, est declarare & creare. Designare, dicere in annum insequentem fore consulem. Nam antiquitus anno uno designabantur consules, antequàm essent. Et eo tempore designari dicebantur.* Tribunali.] *Iuriiurando.* Religio.] *Integritas.* Aequitatis.] *Hæc ex communibus naturæ principijs unicuique notissima est, & iuris scripti est emendatrix. De qua pulchrè Aristot. disserit ad finem 1. Rhetoric. ad Theodect.* Si quidem pleraque.] *Prætores ergo authoritatem habuisse ius dicendi hic locus indicat. De qua re tamen nobilis est controuersia inter nobilissimos Iurisconsultos. Disserit Aeguinarius Baro. l. j. de iurisdict. Disserit Franciscus Duarenus cap. LIII. Anniuersariarũ disputationum. Disserit Ioannes Corrasus lib. III. Miscellaneorum cap. XVII. clarissima iuris ciuilis lumina, & (ut uerum fatear) miracula nostri temporis, eruditionis. Ingratus profectò discipulus essem, nisi de his tantis uiris, quibus ego præceptoribus usus sum, honorificè & magnificè (ut uerè debeo) sentirem. Quis enim eorum uirorum laudes non mandet æternitati, qui totum uitæ cursum in literis conficiunt, peruigiles & insomnes ducũt noctes, inexhaustos, indefessosque impendunt labor*

labores, & quicquid ingenio, industria, studio uel scribendo uel profitendo consequi possunt, id totum prolixè cumulatéq; in studiorum conferunt utilitatem? Digni profectò uiri, quibus immortalis (si fieri posset) uita contingat. Ex quibus utinam existat aliquis, qui ius ciuile ad certũ modum redigat, & ex immensa, & diffusa legum copia, optima quæq; & necessaria in paucissimos conferat libros. Populare.] *Gratum populo.* Dignationis.] *Dignitatis.* Ipso honore.] *Prætura.* Prætor esset.] *Imperator. Prætor Antiquitus idem erat, quod Imperator. Vnde nauis prætoria, Castra prætoria.* Assiduus.] *Frequẽs. Assiduus ab asse dando, dictus est. Cicero in Topicis.* Deseruit.] *Vacat.*

Et sanè æquum est, tantum cæteris præstare consulibus ipsum, qui consules facit: quippe etiam fortunæ videbatur indignum, si posset honores dare, qui gerere non posset. Facturus consules doceat, accepturisq; amplissimum honorem persuadeat scire se, quid sit, quod daturus sit, sic fit vt illi quoque sciant, quid acceperint. Quo iustius senatus, vt susciperes quartum consulatum, & rogauit, & iussit: Imperij hoc verbum, non adulationis esse: obsequio tuo crede, quod non alia in re magis aut senatus exigere à te, aut tu præstare senatui debes. Vt enim cæterorum hominum, ita principum illorum omnium, qui dij sibi videntur, ævum omne & breue, & fragile est. Itaque optimum quemque niti, & contendere decet, vt post se quoque reipublicæ prosit, moderationis scilicet, iustitiæque monimentis, quę prima statuere consul potest. Hæc nempe intentio tua, vt libertatem reuoces, ac reducas. Quem ergo honorem magis amare? quod nomẽ vsurpare sępius debes, quàm quod primum inuenit recuperata libertas? Non est minus

nus ciuile,& principem esse pariter & consulem, quàm tantum consulem. Habes etiam rationem verecundiæ collegarum tuorum. Collegarum inquam: ita enim & ipse loqueris, & nos loqui vis: onerosa erit modestiæ illorum tertij consulatus sui recordatio, donec te consulem videant. Neque enim potest non nimium esse priuatis, quod principi satis est. Annuas Cæsar optantibus, quibúsque apud deos esse consuesti, quorum potens es ipse votorum compotes facias. Fortasse sufficiat tibi tertius consulatus, sed nobis tanto minus sufficit. Ille nos instituit, & induxit, vt te iterum, iterúmque consulem habere cupiamus. Remissius istud contenderemus, si adhuc non sciremus qualis esses futurus. Tolerabilius fuit experimentum tui nobis, quàm vsum negari. Dabitúrne rursus videre consulem illum? audiet, reddet, quas proximè voces? præstabítque gaudium, quantum ipse percipiet? præsidebit lætitiæ publicę autor eius & causa? tentabítque affectus nostros, vt solet cohibere, nec poterit? pietati Senatus cum modestia principis felix, speciosúmque certamen seu fuerit victa, seu vicerit. Equidem incognitam quandam, proximáque maiorem præsumo lætitiam. Quis enim est tam imbecilli ingenio, qui non tanto meliorem consulem speret, quanto sæpius fuerit? Alius labores, si nõ continuo desidiæ, ac voluptati dedisset, otio tamen, & quiete recreasset: hic consularibus curis exolutus, principalis resumpsit: tam diligens temperamenti, vt nec consulis officiũ princeps, nec principis consul appeteret. Videmus vt prouinciarum desiderijs, vt singularum etiam ciuitatũ precibus occurrat, nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora, adeant statim, dimittuntur statim, tandémq; principis fores exclusa legationum turba non obsidet.

COMMENTARIVS.

Et sanè.] *Amplificatio à fastigio & honore principis.* Facturus Cõsules.] *A natura relatiuorum ratiocinatur.* Quò iustius.] *Quia Traianus ex omnium utilitate tertiũ gesserat consulatum.* Imperij hoc verbum.] *Iubere.* Vt enim cæterorum hominum.] *Omnium uitæ breuis est cursus, gloriæ sempiternus.* Vergilius. Lib. x. Aeneidos,

Stat sua cuique dies breue, & irrecuperabile tempus
Omnibus est uitæ. sed famam extendere factis,
Hoc uirtutis opus.

Itaque.] *Adhortatio ad posterorum utilitatem. Similis locus est pro* M. *Marcello.* Intentio.] *Traianus statuerat deposito Imperio Rempub. libertati pristinæ restituere.* Neque enim.] *Maximum esse indicat.* Quod principi satis est.] *Quartus Consulatus.* Annuas.] *Hortatur uehementer ad quartum consulatum.* Esse consueuisti.] *Nobis consueuisti esse uotorum impetrator, nunc nos uotorum compotes, ut quartum consulatum recipias.* Fortasse sufficiat.] *Simile Cic. pro* M. *Marcello: Naturæ & gloriæ Cæsar satis uixerat, sed rempub. minimé.* Ille nos.] *Tertius consulatus.* Iterum. Iterúmque.] *Sæpius.* Vergilius.

Et repetens iterum iterúmque monebo.

Consularibus curis.] *Laus ab assidua diligentia.* Difficultas.] *Morositas. Vespasianus filius cùm admoneretur ab amicis, quòd plura polliceretur interpellãtibus, quàm præstare posset, respondit, Nec oportet quenquam à Cæsaris colloquio tristem discedere. Idem recordatus super cœnam, quòd nemini quicquam præstitisset, memoratam, meritóq; laudatam*

tam uocem edidit, Amici diem perdidimus. Ademit ſtatim.] *Duo in principe uehementer laudanda ſunt, Admittere facilè ſuos cõſultores, & citò dimittere.*

Quid in omnibus cognitionibus, quàm mitis ſeueritas, quàm non diſſoluta clementia? non locupletando fiſco ſedes, nec aliud tibi ſententiæ tuæ pretium, quàm bene iudicaſſe. Stant ante te litigatores non de fortunis ſuis, ſed de tua exiſtimatione ſoliciti: nec tam verentur, quid de cauſa ſua, quàm quid de moribus ſentias. O' veri principis, atque etiam conſulis, reconciliare æmulas ciuitates, tumenteísque populos non imperio magis, quàm ratione compeſcere; intercedere iniquitatibus magiſtratuum, infectúmque reddere, quicquid fieri non oportuerit. Poſtremo velociſsimi ſyderis more omnia inuiſere, omnia audire, & vndecunque inuocatum, ſtatim velut numen adeſſe, & adſiſtere. Talia eſſe credideriim, quæ ipſe mundi parens temperat nutu, ſi quando oculos demiſit in terras, & facta mortalium inter diuina opera numerari dignatus eſt, quibus nunc per te liber, ſolutúsque cœlo tantum vacat, poſtquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice ſua fungereris. Fungeris enim, ſufficisq; mandãti, cùm tibi dies omnis ſumma cum vtilitate noſtra ſumma cum tua laude cõdatur. Quòd ſi quando cum influentibus negotijs paria feciſti, inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris.

COMMENTARIVS.

Mitis ſeueritas.] *Ἀντίθεσις gratam orationem facit, quà diuerſæ uirtutes ita temperãtur, ut in nullo excedatur.* Non diſſoluta clementia.] *Clementia principem ornat, & populo*

pulo grata eſt. Ob hanc Iulius Cæſar diuinam meruit laudem. Non locupletando fiſco.] *Pro Tribunali. Huic autem locupletãdo mali principes in primis ſtudebat. Nũquàm enim eſt bona cauſa fiſci, niſi ſub malo principe.* Nec aliud tibi.] *Hic nootat Iudicum quorundam auaritiam, rapacitatem, inexplebilem pecuniarum ſitim. Quidam enim Iudices eruſcatores, clientibus diuendunt ſuam ſententiam.* Solliciti.] *Quid de illis ſentias.* Cauſſa ſua.] *Iure ſuo.* O verè.] Æmulas Ciuitates.] *Seditioſas.* Velociſsimi ſyderis Motu.] *Traianum Soli confert.* Talia eſſe.] *Plinius indicare uidetur, Traianum in rerum humanarum adminiſtratione Iouis uicarium eſſe factum.* Sufficis mandãti.] *Ioui facis ſatis.* Influentibus.] *Inundantibus.*

Quæ enim remiſsio tibi, niſi luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium iuga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre, nullius manu, nullius veſtigio adiutum, atque inter hęc pia mente adire lucos, & occurſare numinibus? Olim hæc experientia iuuentutis, hæc voluptas erat: his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris; curſu: cũ audacibus, robore: cum callidis, aſtu: nec mediocre pacis decus habebatur ſubmota campis irruptio ferarum, & obſidione quadam liberatus agreſtium labor. Vſurpabant gloriam iſtam illi quoque principes, qui obire non poterant: vſurpabãt autem ita vt domitas, fractáſque clauſtris feras, ac deinde in ipſorum quidem ludibrium emiſſas mentita ſagacitate colligerent. Huic par capiendi, quærendíq; ſudor, ſummúsque, & idem gratiſsimus labor inuenire. Enimuero ſiquando placuit idem corporis robur in maria proferre, non ille fluitantia vela aut oculis ſequitur, aut manibus; ſed nunc gu-

bernac

bernaculis adsidet, nunc cum valentissimo quoque sodalium certat frangere fluctus, domitare ventos reluctãteis, remisq́; transfretare obstantia freta. Quantum dissimilis illi, qui non Albani lacus otium, Baianiq́; torporem, & silentium ferre, non pulsum saltem, fragorémque remorum perpeti poterat, quin ad singulos ictus turpi formidine horresceret. Itaque procul ab omni sono inconcussus ipse, & immotus religato, reuinctóque nauigio, non secus ac piaculum aliquod trahebatur: fœda facies, cum Pop. Rom. Imperator alienum cursum, alienúmq; rectorem velut capta naue sequeretur. Nec deformitate ista saltem flumina carebant, atq; amnes, Danubius ac Rhenus tantum illud nostri dedecoris vehere gaudebant non minore cum pudore imperij, quòd hæc Romanæ aquilæ, Romana signa, Romana deniq; ripa, quàm quòd hostium prospectarent: hostium, quibus moris est eadem illa nunc rigentia gelu flumina, aut campis superflua, nunc liquida, ac deferẽtia lustrare nauigijs, nandóque superare.

COMMENTARIVS.

Quæ enim.] *Hactenus à bonis animi, fortutidine, iustitia, æquitate, moderatione, liberalitate, humanitate, facilitate, laudauit Traianum, nunc à bonis corporis eum laudat: & primùm à uenatione. De qua extat libellus elegans apud Zenophontem.* Inter hæc.] *Dum uenatur.* Adire lucos.] *Religioni consecratos.* Occursare numinibus.] *Dijs syluestribus.* Olim.] *Venatio erat quædã prolusio quædã ad artẽ militarẽ. Zenophõ id testatur lib. I. κυρȣ̃ παιδείας: ὅτι ἀληθεστάτη δοκεῖ αὕτη ἡ μελέτη πρὸς τὸν πόλεμον εἶναι: Venatio est uerissima exercitatio earũ rerum, quæ ad bellum conferunt.* Certa

Certare cum fucibus.] *Tria ferarum genera hîc commemorat: unum, fugax, ut Damam, Ceruum, leporem. Alterum, audax, ut Leonem, Vrsum. Tertium, callidum, ut uulpem.* Vsurpabant.] *Inuadebant tanquàm rem alienã.* Obire.] *Sustinere.* Claustris.] *Septis suis. Claustrum græcè παράδισος dicitur.* Mentita.] *Ficta, non uera.* Enimuerò.] *Confert Traianum cum Domitiano, & à uenatione ad nauigationem transfert sermonem.* In maria proferre.] *Nauigando experiri.* Fluitantia vela.] *Ventis plena, inundãtia.* Frãgere fluctus.] *Fortiter insurgere remis.* Quantũ dissimilis.] *Redditio cõparationis. Domitianũ intelligit.* Albani lacus.] *Italici, de quo uidendus est Liuius libro ab urbe condita V. Iuuenalis Satyra IIII. Martialis libro XI. Trãquillus, Dion, tradũt Domitianum mirè se oblectasse Albano lacu consueuisse.* Baianiq; torporem.] *Baiæ, ciuitas Campaniæ: cuius in agris aquæ natura calidæ sunt, oportunæ tum uoluptatibus corporis, tum morbis profligandis. Ad has frequens hominum copia partim uoluptatis causa, partim morborum curandorum cõfluere solebat. Vnde Balbus Marco Cælio obiecerat, quòd delicatiùs in Baijs uersatus esset. Quem Cicero nobili oratione defendit.* Inconcussus ipse.] *Domitianus.* Nauigio.] *Remulco. Est enim remulcus scapha, quæ uel alteri naui alligata est, uel è qua grandiorem nauim (quæ uentis destituta est) remulcant trahúntque.* Ac piaculum.] *Sacrificium aliquod ad piaculare, facinus expiandum.* Fœda facies.] *Turpis species.* Alienum rectorem.] *Nauis præcedentis nauclerum.* Nec deformitate.] *Insectatur mollitiem Domitiani, qui magno dedecori Imperio Romano fuit, cùm effœminatè, molliter, desidiosè per Danubium & Rhenum hostiles fluuios traheretur, quos imperij Romani hostes aut constricta gelu, celerrimè transibant, aut liquida*

da uelocißimè nauigijs peruolabant.

Nec verò laudauerim per ſe magnopere duritiem corporis ac lacertorum:ſed ſi his validior toto corpore animus imperitet,quem non fortunæ indulgentiæ molliant,non copiæ principales ad ſegnitiem, luxúmque detorqueant:tunc ego ſeu montibus,ſeu mari exerceatur,& lætum opere corpus,& creſcentia laboribus mẽbra mirabor.Video enim iam inde antiquitus maritos dearum ac deorum liberos, nec dignitate nuptiarum magis,quàm his artibus inclaruiſſe.Simul cogito, cùm ſint iſta ludus,& auocamentum,Quæ quantæ ſint huius:illæ ſeriæ,& intentæ, & à quibus ſe in tale otium recepit,voluptates.Sunt enim voluptates, quibus optime de cuiuſque grauitate,ſanctitate,temperantia creditur.Iam quis adeo diſſolutus, cuius non occupationibus aliqua ſpecies ſeueritatis inſidat? Otio prodimur. An non plerique principes hoc idem tempus in aleam, ſtupra,luxum,conferebant?cum feriarum laxamenta curarum,vitiorum contentione ſupplerent.Habet hoc primum magna fortuna,quòd nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur:principum verò non modò domos, ſed cubicula ipſa,intimósque ſeceſſus recludit:omniáque arcana noſcenda famæ proponit, atque explicat. Sed tibi Cæſar nihil accommodatius fuerit ad gloriam, quàm penitus inſpici.

COMMENTARIVS.

Nec verò.] *Vires corporis ſi prudentia regantur, laudandæ ſunt,ſed animus qui his imperat,multò eſt laudabilior. Vt enim Salluſtius ait,animi Imperio corporis ſeruitio magis utimur.* Copiæ principales.] *Quibus principes abundare ſolent.* Montibus.] *Venatione.* Mari.] *Nauigatione.* Video enim.] *Dearum maritos & Deorum liberos nuptiæ uehementer ornant,ſed uenatio,nauigatio,& cætera id genus exercitia,multò clariores reddiderunt homines.* Maritos Dearum.] *Quorum ex numero fuit Peleus, qui ob fortitudinem Thetidis promeruit nuptias. Hippolytus ob uenandi peritiam Dianam in amorem pellexit.* Iſta.] *Venatio,nauigatio.* Auocamentum.] *Recreatio,ſolatium à mœrore reuocans. De hoc uocabulo multa Budæus.* Voluptates.] *Traiani uoluptates ſeriæ & honeſtæ erant, à quibus ſe in uenationem,& alias exercitationes recipiebat.* Iam quis.] *Nemo principum unquàm fuit tanta deſidia reſolutus, qui non in aliquo ſeueritatis aut iuſtitiæ aliquod probitatis oſtenderit exemplum: ut Domitianus induſtriè ius dixit, hiſtriones exploſit. Quemadmodum contrà nemo fuit,cuius uirtutes non aliquo uitiorum confinio commaculatæ fuerint.* Otio prodimur.] *Vitia noſtra indicantur,ut officio & labore teguntur.* Hoc idem tempus.] *Quod Traianus honeſtis auocamentis impendebat.* Laxamenta curarum.] *Id tempus,quod animo laxando dandum erat,in uitijs conſumebatur.* Habet hoc.] *Sententia. Sic Cæſar apud Salluſtium.Sed alijs alia licentia eſt P.C.qui demißi in obſcuro uitam agunt,ſi quid iracundia deliquerunt,pauci ſciunt: fama et fortuna eorum pares ſunt. Qui magno Imperio præditi in excelſo ætatem agunt,eorum facta cuncti mortales nouêre. Iuuenalis,*

Omne animi uitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet,quantò maior qui peccat,habetur.

Meminit huius rei Cicero lib.II.offic.cap.Erat igitur. Sed tibi.] *Dicta factáq; Traiani ſancta,caſta,integra ſunt. Quò ergo hæc apertiùs noſcentur, tantò maiorem gloriam Traiano*

iano adferent.

Sunt quidem præclara, quæ in publicum profers, sed non minora ea, quæ limine tenes. Est magnificũ, quòd te ab omni contagione vitiorum reprimis, ac reuocas: sed magnificentius, quòd tuos. Quantò enim magis arduũ est alios præstare, quàm se, tantò laudabilius, quòd cùm ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti. Multis illustribus dedecori fuit aut incõsultius vxor adsumpta, aut retenta patientius, ita foris claros domestica destruebat infamia: & ne maximi ciues haberentur, hoc efficiebat, quòd mariti minores erãt. Tibi vxor in decus, & gloriam cedit. Quid enim illa sanctius? quid antiquius? Nónne si pontifici maximo deligenda sit cõiux, aut hanc, aut similem (vbi est autem similis?) elegerit, quàm illa nihil sibi ex fortuna tua, nisi gaudium vendicat? quàm constanter non potentiam tuam, sed ipsum te reueretur? Idem estis inuicem quod fuistis, probatis ex æquo: nihílque vobis felicitas addidit, nisi quòd scire cœpistis, quàm bene vterque vestrum felicitatem ferat. Eadem quàm modica cultu? quàm parca comitatu? quàm ciuilis incessu? mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita instituit: nam vxori sufficit obsequij gloria. At cum videat quàm te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non & ipsa cum silentio incedat? ingredientémque pedibus maritum inquantum patitur sexus, imitetur? Decuerit hoc illam, etiam si diuersa tu facias. Sub hac verò modestia viri quantam debet verecundiam vxor marito, fœmina sibi? Soror autem tua, vt se sororem esse meminit, vt in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor agnoscitur? vt si quis eam vxori tuæ conferat, dubitare cogatur, vtrum sit efficacius, ad rectè viuen

viuendum bene institui, aut feliciter nasci. Nihil est tã pronũ ad simultates, quàm æmulatio, in fœminis præsertim: ea porrò maximè nascitur ex cõiunctione, alitur æqualitate, exardescit inuidia, cuius finis est odiũ. Quo quidem admirabilius existimandum est, quòd mulieribus duabus in vna domo, paríque fortuna nullum certamen, nulla contentio est. Suspiciunt inuicem, inuicem cedunt: cúmque te vtraque effusissimè diligat, nihil sua putant interesse, vtrã tu magis ames: idém que vtrique propositum, idem tenor vitæ, nihílque ex quo sentias duas esse. Te enim imitari, te subsequi student: ideo vtraque mores eosdem, quia vtraque tuos habet. Inde moderatio, inde etiam perpetua securitas: neque enim vnquam periclitabuntur esse priuatæ, quæ non desierunt. Obtulerat illis Senatus cognomen Augustarum, quod certatim deprecatæ sunt, quandiu appellationem Patris patriæ tu recusasses: seu quòd plus esse in eo iudicabant, si vxor, & soror tua, quàm si augustæ dicerentur. Sed quæcunque illis ratio tãtam modestiam suasit, hoc magis dignæ sunt, quæ in animis nostris & sint, & habeantur Augustæ, quia non vocantur. Quid enim laudabilius fœminis, quàm si verum honorem non in splendore titulorum, sed in iudicijs hominum reponant: magnísq; nominibus pares se faciãt, etiam dum recusant?

COMMENTARIVS.

Sunt quidẽ.] *Trãsit à rebus publicis ad priuatas.* In publicũ profers.] *A te publicè aguntur.* Limine teris.] *Domi agũtur.* Sed magnificẽtius.] Amplificatio per correctionẽ.] Alios præstare.] *Bonos efficere.* Vxor assumpt

ſumpta.] *Non bene explorata eius pudicitia. Quod Antonio contigit, qui temerè Cleopatram aſſumpſit.* Aut retenta.] *Vt Claudius Meſſalinam, Agrippinam impudicè domi retinuit. Quare prudenter ab Euripide dictum eſt, Oportere aut prudentem domi uxorem alere, aut nullam.* χρὴ δ' ἐν δόμοισιν ἄνδρα τὸν σοφὸν τρέφειν γυναῖκα χρηστὴν, κἀγαθὴν, ἢ μὴ τρέφειν. Domeſtica infamia.] *Impudicitia uxoris.* Mariti minores.] *Exigui patrimonij.* Tibi vxor.] *Plotina, quam Plinius in Epiſtolis ſanctiſsimam uocat. Hæc enim integrè inculpatéq; uixit, ut Dion commemorat. Laus hæc ad commoda fortunæ pertinere uidetur. Proba enim uxore dotatum eſſe, magnum eſt fortunæ donum.* Nónne ſi Pontifici.] *Elegans laudandi modus, cum id quod præſtantiſsimum eſt, ei, quod optimum eſt coniungimus. Sic ſi Iupiter Græcè loqui uoluiſſet, non alia quàm Platonis lingua uſus fuiſſet. Si Muſæ latinè loqui uoluiſſent, non alia quàm Ciceronis uſæ fuiſſent. Si Traianus optimus princeps, ex innumera mulierum turba optimam eligere uoluiſſet, non aliam quàm Plotinam eligere potuiſſet: hîc autem Plinius ita Plotinam deſcribit, quaſi omnem fœminarum laudem ſupergreſſa eſſe uideatur.* Vendicat.] *Aſſumit ex rebus tuis florentibus.* Non potentiam tuam.] *Cæſaream maieſtatem.* Ipſum te.] *Quia maritus, quia probus es.* Idem eſtis.] *Honoris faſtigium animos attollere ſolet, ſed Traianus eiúſque uxor, eandem modeſtiam & in uita priuata & principis dignitate ſeruarunt.* Eadem quàm modico cultu.] *Magna laus Plotinæ à mundo muliebri.* Ciuilis inceſſu.] *Modeſtum & moderatum ingreſſum ſeruans. Quædam mulieres tam laſciuæ ſunt, ut etiam ſolus ingreſſus laſciuiam oſtendat: Caput in ſublime proijciunt, uultum ad uenerem componũt, oculis impudicis & flammeis colluſtrant omnia, brachia in latera reiecta ferunt, gradum tam anguſtum faciunt, ut in cocleari inſiſtere poſſint, terram ſummis pedum digitis (ut proceriores uideantur) delibant.* Mariti hoc opus.] *Præclaras uxoris dotes Traiano aſcribit.* Obſequij gloria.] *Hoc nomine gloriatur, quòd marito obſequatur.* Atquum.] *Mariti eximia uirtus, uxorem ad probitatem allicit.* Verecundiam.] *Pythagoras Samius ille Philoſophus crebris ſermonibus hanc ſententiam uſurpare ſolebat, uera ornamenta matronarum, pudicitiam, non ueſtes eſſe. Vide Iuſtinum lib. x x.* Soror tua.] *Amplificatio laudis Traiani à ſorore Martiana primaria fœmina.* Vtrum ſit efficacius.] *Quæſtio elegans eſt, an naturæ an inſtitutioni plus debeamus. De qua re diſſerit Quint. lib. I I. cap. x I x. & Cicero in oratione pro Archia poëta.* Nihil eſt.] *In fœminis magna ſolet eſſe cõtentio, & æmulatio, Plotina tamen & Martiana coniunctiſsimè uixerunt.* Ea porrò.] *Gradatio.* Effuſiſsimè.] *Propenſiſsimè.* Tenor.] *Conditio ſtatus.* Moderatio.] *Modeſtia.* Cognomen Auguſtarum.] *Quia uxores principum Auguſtæ uocabantur.* Deprecatæ ſunt.] *Precibus auerterunt.* Quid enim.] *Amplificatio à uera laude.* Splendore.] *Nominibus ſplendidis.* In iudicijs hominum.] *Ex ueritate eum metiantur.*

Iam etiam & in priuatorum animis exoleuerat priſcum mortalium bonum amicitia, cuiùs in locum migrauerant aſſentationes, blanditiæ, & peior ordo, amoris ſimulatio: etenim in Principum domo nomen tantùm amicitiæ inane ſcilicet, irriſúmque manebat. Nã quæ poterat eſſe inter eos amicitia, quorum ſibi alij domini, alij ſerui videbantur? Tu hanc pulſam & errantem reduxiſti. Habes amicos, quia amicus ipſe es: neq; enim vt alia ſubiectis, ita amor imperatur: neque eſt vl-

lus affectus tam erectus, & liber, & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat. Potest fortasse princeps inique, potest tamen odio esse nonnullis: etiam si ipse non oderit: amari, nisi ipse amet, non potest. Diligis ergo, cum diligaris, & in eo, quod vtrique honestissimũ est, tota gloria tua est, qui superior factus, descẽdis in omnia familiaritatis officia, & in amicũ ex imperatore submitteris: imò tũc maximè imperator, cũ amicũ ex imperatore agis. Etenim cũ plurimis amicitijs fortuna principũ indigeat, pręcipuum est principis opus, amicos parare. Placeat tibi semper hæc secta, & cum alias virtutes tuas, tũ hanc constantissime teneas: nec vnquã persuadeatur humile esse principi, nisi odisse. Iucundissimum est in rebus humanis amari, sed non minus amare: quorum vtroque ita frueris, vt cum ipse ardentissime diligas, adhũc tamen ardentius diligaris. Primũ, quia facilius est vnũ amare, quàm multos: deinde, quia tibi amicos tuos obligandi adest facultas tanta, vt nemo possit te, nisi ingratus, non magis amare. Operæpretiũ est referre, quod tormentum tibi iniunxeris, ne quid amico negares: dimisisti optimum virum, tibiq; charissimum inuitus, & tristis, & quasi retinere non posses quãtum amares eum, desiderio expertus es, distractus, separatúsque, dũ cedis, & vinceris. Ita quod fando inauditum, cum princeps, & principis amicus diuersa velletis, id potius factum est, quod amicus volebat. O' rem memoriæ, literísq; mandandam, pręfectum prætorij nõ ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus legere: eundémque otio, quem pertinaciter amet, reddere: cúmque sis ipse distentus imperij curis, non quietis gloriam cuiquam inuidere. Intelligimus Cæsar, quantum tibi pro lab

laboriosa ista statione, & exercita debeamus, cum otiũ à te tanquam res optima & petatur, & detur. Quã ego audio confusionem tuam fuisse, cum digredientem prosequereris? prosequutus enim nec temperasti tibi, quo minus exeunti in littore amplexus osculum ferres. Stetit Cæsar in illa amicitiæ specula, precatúsque maria, celerémq;, si tamẽ ipse voluisset, recursum, nec sustinuit recedentem, non etiam atque etiã votis, lacrymis sequi.

COMMENTARIVS.

Iam etiam.] *Transitio à laude uxoris & sororis ad amicitiam.* Priscum mortalium bonum.] *Amor à quo amicitia nominata est, omnium Deorum antiquissimus est, ut Plato in sympo sio docet. Plato enim ab origine, amoris nobilitatem, à præsentia, magnitudinem ab euentu, utilitatẽ ostẽdit. Amicitiam igitur Antiquum bonum esse necesse est.* Assentationes.] *In suffragando.* Blanditiæ.] *In gestu.* Quorum.] *Vt apud Tyrannos fit. Amicitia autem est inter pares.* Hanc pulsam & errantem.] *Amicitiam uagabundã.* Neque enim.] *Amor liber est, neque imperatur. Est enim animi affectus, animus autẽ cogi nõ potest.* Erectus.] *Viuidus, alacris.* Vices exigat.] *Mutua & reciproca officia. Nam amicitia, ut Aristoteles cap. VIII. & hic docet, est mutua beneuolentia non latens alicuius boni gratia.* Et *Plato in conuiuio docet, eum, qui amatur, & non amat, homicidam furem, sacrilegum esse. Nam amantem occidit, animam ei eripit, quæ sacra res est.* Amari.] *Est enim hoc peruagatum, si uis amari, amabilis esto.* Diligis ergo.] *Complexio ex superioribus. Amorem reciprocũ esse oportet. Traianus amat, ergo amatur. Quidam in ea sententia sunt, nos diligere iudicio, amare affectu. Ex quo conficitur, diligere plus esse, quàm*

amare. Quod est contra Ciceronis sententiam. Amare enim plus est, diligere minus. Exempla apud Ciceronē obuia sunt. Præcipuum est principis opus.] *Quàm principibus & omnibus, qui opibus abundant amici sint necessarij, Aristoteles docet, imitio VIII. lib. Ethicor. his uerbis:* Ἄνευ γὰρ φίλων, οὐδεὶς ἂν ἕλοιτο ζῆν ἔχων τὰ λοιπὰ, ἀγαθὰ πάντα, καὶ γὰρ πλούσιοι, καὶ ἀρχὰς καὶ διωγμοὺς κεκτημένοις δοκεῖ μάλιστα φίλων εἶναι χρεία. Τί γὰρ ὄφελος τῆς τοιαύτης εὐετηρίας ἀφαιρεθείσης, εὐεργεσίας, ἣ γίγνεται μάλιστα καὶ ἐπαινεῖται πρὸς φίλους, ἢ πῶς ἂν τηρηθείη καὶ σώζοιτο ἄνευ φίλων, ὅσῳ γὰρ πλείων, τοσούτῳ ἐπιφαλεστέρα ἐν πενίᾳ τε καὶ τοῖς λοιποῖς δυστυχίαις μόνην οἴονται καταφυγὴν εἶναι τοὺς φίλους. Placeat tibi semper.] *Opinio conciliandi amicos.* Primùm.] *Hac ratione Aristoteles X. cap. IX. Ethicorum, probat non esse parandos multos amicos, quia multos effusissimè amare nō possumus:* οὐδὲ γὰρ εὐδοκεῖν δόξειεν ἂν πολλοῖς εἶναι φίλων σφόδρα. Tormentum.] *Cruciatum.* Amico.] *Licinio iure.* Vinceris.] *Morem amico geris. Licinius præfectus prætorio sub Traiano fuit, Hic cum officio abire uellet, à Traiano nullis precibus retineri potuit.* O' rem.] *Rei narratæ acclamatio.* Non ex.] *Intrudentibus sese.* Subtrahentibus,] *Subterfugientibus.* Laboriosa statione.] *Munere & officio laborioso.* Excita.] *Longo usu perita.* Confusionem.] *Animi perturbationem.* Amicitiæ specula.] *In omnium conspectu.*

Nam de liberalitate taceo: quibus enim muneribus æquari hæc cura principis, hæc patientia potest? qua meruisti, vt ille sibi nimium fortis, ac propè durus videretur. Nec dubito, quin agi iauerit secum, an gubernacula retorqueret: & fecisset, nisi quòd penè ipso contubernio principis felicius, iucūdiúsq; est desiderare principē desiderātē. Et ille quidē vt maxima fructus suscepti, ita

maio

maiore depositi officij gloria fruitur: tu autem facilitate ista consequutus es, ne quem retinere videaris inuitum. Ciuile hoc erat, & parenti publico conuenientissimum nihil cogere: sempérque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, vt non sit gratior potestate libertas. Dignus es Cæsar, qui officia mandes deponere optantibus, qui petentibus vacationem inuitus quidem, sed tamen tribuas: qui ab amicis orantibus requiem, non te relinqui putes, qui semper inuenias & quos ex otio reuoces, & quos otio reddas. Vos quoque, quos parens noster familiariter inspicere dignatur, fouete iudicium eius, quod de vobis habet. hic vester labor est. Princeps enim cum in vno probauit amare se scire, vacat culpa, si alios minus amat. Ipsum quidem, quis mediocriter diligat cum leges amandi non det, sed accipiat? hic præsens, ille mauult absens amari, vterque ametur, vt mauult, nemo in tædium præsentia, nemo in obliuionem absentia veniat: tenet quisque locum, quem semper meruit: faciliúsque est, vt oculis eius vultus absentis, quàm vt animo charitas excidat. Pleriqne principes, cum essent ciuium domini, libertorum erant serui, horum consilijs, horum nutu regebantur: per hos audiebant, per hos loquebantur, per hos præturæ etiam, & sacerdotia, & consulatus, imò & ab his petebantur. Tu libertis tuis summum quidem honorem, sed tanquam libertis habes, abundéque sufficere his credis, si probi & frugi existimentur. Scis enim præcipuum esse indicium nō magni principis magnos libertos. Ac primū neminem in vsu habes, nisi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuiquā principū dilectū, statímq; hos ipsos quotidie: deinde ita

formas,vt se non tua fortuna, sed sua mentiantur: & tanto magis digni,quibus honor omnis præstetur à nobis,quia non est necesse.

COMMENTARIVS.

De liberalitate taceo.] *Descriptio est mirifica amici à Traiano discedentis. Quem etiam Traianus multis muneribus prosequutus est.* Nimium fortis.] *Præfracti animi & obstinati,quod tibi non obtemperat. An gubernacula retorqueret.An Licinius postquàm è portu soluisset, rursus in portum rediret.* Nisi quod ferè.] *Iucundius ferè est desiderare principem absentem,quàm eo præsente frui.Nam assiduitate consuetudinis flagrans ille amor languescere solet:absentia uerò magis ac magis incenditur.* Vos.] *Apostrophe ad senatores.* Familiariter inspicere.]*Familiarem se uobis præbet.* Probauit.] *Documentum dedit.* Si alios minus amat.] *Qui amore digni non sunt.* Nemo.] *Vt præsentia solet tædium parere, ita absentia obliuionem. Vnde Aristoteles ait:* Πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν.

Iustísne de causis S.P.Q.R. Optimi tibi cognomen adiecit?Paratum id quidem,& in medio positum, nouum tamen, scias neminem antè meruisse, quod non erat excogitandum,si quis meruisset.An satius fuit felicem vocare?quod non moribus, sed fortunæ datum est.Satius magnum?cui plus inuidiæ,quàm pulchritudinis inest.Adoptauit te optimus princeps in suum, Senatus in optimi nomen:Hoc tibi tam proprium, quàm paternum, nec magis definitè, distinctéque designat, qui Traianum,quàm qui optimum appellat, vt olim frugalitate Pisones, sapientia Lælij, pietate Metelli monstrabantur:quæ simul omnia vno isto nomine cõtinent

tinentur:nec videri potest optimus, nisi qui est omnibus optimis in sua cuiusque laude præstantior. Meritò tibi ergo post cæteras appellationes hæc est addita, vt maior. Minus est enim Imperatorem & Cæsarem, & Augustum,quàm omnibus Imperatoribus, & Cæsaribus,& Augustis esse meliorem.Ideóque ille parens hominum deorúmq;,optimi prius,deinde maximi nomine colitur:quo præclarior laus tua,quem non minus constat optimum esse,quàm maximum.

COMMENTARIVS.

Iustis'ne.] *De hac re à nobis prius dictum est.* An satius.] *Alludit ad Syllam,cognomento Felicem,qui per totam uitam prospero fortunæ flatu usus est.* Huius meminit *Plinius libr.*VII. Fortunæ datum est.] *Quia fortunæ beneficio id accidit.* Satius magnum.] *Respicit ad Pompeium,cur Magni cognomentum inditum fuit.* Nec magis definite.] *Confert optimi cognomen, cum nomine Traiano, quod à patre accepit.* Frugalitate Pisones.] *Familia Pisonum nobilis Romæ fuit.Dicti autem sunt Pisones,eò quòd optimè pisa sererent.Vnde etiã frugales dicti sunt,quòd multis fructuosi,hoc est utiles essent.* Videndus *Valerius Maximus lib.*III. *cap.de abstinentia.* Sapientia Lælij.] *De hoc Cicero in Lælio ait, Te autem alio quodam modo dicunt non solùm natura & moribus,uerùm etiam studio & doctrina esse sapientem.Meminit eius Cicero pro Murena, & in Bruto de claris oratoribus.* Pietate Metelli.] *Cecilij Metelli,qui pius in Deos extitit,seruato ab incendio Palladio,& Q. Metelli,qui patrem assiduis precibus ab exilio reuocauit.* Ideóq; ille parens.] *Iupiter quem Homerus* ἀνδρῶν τε θεῶν τε πατέρα *uocat.Fingitur enim Iupiter effusissimus*

in Venerem fuisse, & Cœlum terrámque liberis impleuisse: Optimi prius.] *Quia beneficia confert.* Deinde optimi.] *Ob uni & potestatẽ.* Maximum.] *Beneficijs & potẽtia.*

Adsecutus es nomen, quod ad alium transire non possit, nisi vt appareat in bono principe alienum, in malo falsum: quod licet omnes postea vsurpent, semper tamen agnoscetur vt tuum. Etenim vt nomine Augusti admonemur eius cui primum dicatum est: ita hęc Optimi appellatio nunquam memoriæ hominum sine te recurret: quotiésque posteri nostri optimum aliquem vocare cogentur, toties recordabuntur, quis meruerit vocari. Quantò nunc diue Nerua gaudio frueris, cum vides & esse optimum, & dici quem tanquam optimum elegisti? Quàm lætum tibi, quòd comparatus filio tuo vinceris? Neq; enim alio magis approbatur animi tui magnitudo, quàm quòd optimus ipse non timuisti eligere meliorem. Sed & tu pater Traiane, nam tu quoque si non sydera, proximam tamen syderibus obtines sedem, quantam percipis voluptatem, cum illum tribunum, illum militem tuum, tantum imperatorem tantum principem cernis: cúmq; eo, qui adoptauit amicissimè contendis, pulchrius fuisse genuisse talem, an elegisse? Macte vterque ingenti in Rempub. merito, cui hoc tantum boni contulistis, licet alteri vestrum filij virtus triumphalia, cœlum alteri dederit. Non minor tamen vestra laus, quòd ista per filium, quàm si ipsi meruissetis.

COMMENTARIVS.

Assequutus es.] *A proprietate rei ratiocinatio.* Etenim.] *A simili colligit Optimi cognomen Traiani proprium esse. Vt omnes Imperatores ab Octauio Augusto, Augusti dicti sunt? Ita omnes à Traiano optimi dicuntur.* Quoties posteri.] *Argumentum à iudicio posterorum.* Quantò nunc.] *Neruam extinctũ alloquitur.* Vinceris.] *Moribus & rerum gestarum magnitudine.* Sed &.] *ἀποστροφὴ ad Traianum patrem.* Si non sydera.] *Si non cõsecratione sis in numerum Deorum relatus.* Proximam syderibus.] *Inter uiros triumphales. Est autem παρασκευὴ ad epilogum: Incipit enim rerum capita paucis perstringere.* Alteri vestrũ.] *Traiano patri.* Cœlum alteri.] *Neruæ.*

Scio Patres c. cum cæteros ciueis, tum præcipue consules oportere sic affici, vt se publicè magis, quàm priuatim obligatos putent. Vt enim malos principes rectius, pulchriúsque est ex communibus iniurijs odisse, quàm proprijs: ita boni speciosius amantur ob ea, quæ generi humano, quàm quæ hominibus præstant. Quia tamen in consuetudinem venit, vt consules publica gratiarum actione perlata, suo quoque nomine quantum debeant principi, profiteantur: concedite me nõ pro me magis munere isto, quàm pro collega meo Cornuto Tertullo consulari viro fungi. Cur enim non pro illo quoque gratias agam, pro quo non minus debeo? præsertim cum indulgentissimus imperator in concordia nostra ea præstiterit ambobus, quæ si tantum in alterũ contulisset, ambos tamen æqualiter obligasset. Vtrunque nostrum ille optimi cuiusque spoliator, & carnifex, stragibus amicorum, & in proximum iacto fulmine afflauerat: ijsdem enim amicis gloriabamur, eosdem amissos lugebamus: ac sicut nũc spes, gaudiũq;, ita tunc cõmunis nobis dolor, & metus erat. Habuerat hũc honorẽ periculis nostris diuus Nerua, vt nos, etsi minus vt bonos

COMMENTARIVS.

Tantum inter te & illos.] *Tyranni ægrè & magna cum difficultate honores concedebant, ut maiorem gratiam ex mora, tædio, desperatione consequerentur.* Obstat verecundia.] *Verentur enim Traianum coram in os laudare.* Persentiamus.] *Ad plenũ referamus.* Aequaueris.] *Aequales feceris.* Tenor vitæ.] *Decursus.* Ac si.] *Est enim amicitia, authore Sallustio, idem uelle & idem nolle, καὶ μία ψυχὴ δυοῖν σώμασιν.* Non ergo.] *Non est momentaneũ.* Vterq;.] *Vterque dupliciter delectatur, & suo & collegæ consulatu.* Rursus consules fiunt.] *Secundùm consules.* Præfectis ærario.] *Præpositis. Quod munus censores obire solebant.* Hoc idem est, *cum loco superiori. Vt ad summum honorem gloria celeritatis accederet.* Aucta est.] *Præfectum, consulatu.* Geminatus.] *Duplicatus.* Integritatis nostræ.] *Perfectionis. Integer animus, incorruptus, fauore, gratia, odio.* Salua.] *Adhibita diligentia.* Quid quod.] *Interrogatio excitans attentionem.* Consulatum tuum.] *Traianus mensibus aliquot, consulatu functus erat, deinde reliquem anni partem Plinio & Cornuto absoluendam concessit. Idque multos alios fecitasse ex Tranquillo constat.*

Ergo non alia nos pagina, quàm te consulem accipiet, & nostra quoque nomina addentur fastis, quibus ipse perscriberis. Tu comitijs nostris præsidere, tu nobis sanctissimum illud carmen præire dignatus es, tuo iudicio cõsules facti, tua voce renuntiati sumus, vt idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator existeres. Nam quòd eum potissimum mensem attribuisti, quem tuus natalis exornat, quàm pulchrum nobis? quibus edicto, quibus spectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio lætum, qui principem abstu

abstulit pessimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit? Nos sub oculis tuis augustior solito currus accipiet, nos inter secunda omina, & vota certantia, quæ præsenti tibi conferentur, vehemur alacres, & incerti ex vtra parte maior auribus nostris accidat clamor. Super omnia tamen prædicandum videtur, quòd pateris consules esse, quos fecisti: quippe nullum periculum, nullus ex principe metus consulareis animos debilitat, & frangit: nihil inuitis audiendum, nihil coactis decernẽdum erit. Manet, manebítque honori veneratio sua, nec securitatem autoritate perdemus. Ac si quid fortè ex consulatus fastigio fuerit diminutum, nostra hæc erit culpa, non seculi. Licet enim quantum ad principẽ, licet taleis consules agere, qualeis ante principes erant. Vllámne tibi pro beneficijs referre gratiam parem possumus, nisi tantum illam, vt semper nos meminerimus consules fuisse, & consules tuos? Ea sentiamus, ea censeamus, quæ consularibus digna sunt. Ita versemur in Rep. vt credamus esse remp. non consilium nostrum, non operam subtrahamus, nec disiunctos nos, & quasi dimissos consulatu, sed quasi adstrictos & deuinctos putemus: eundémque locum laboris & curæ, quem reuerentiæ, dignitatísque teneamus.

COMMENTARIVS.

Ergo nos.] *Complexio est, cuius integra hæc est ratiocinatio: Qui eodem anno consulatu functi sunt, eisdem annalium paginis inscribuntur. Plinius, Cornutus, priuati aliôqui homines cum principe consulatu functi sunt: Ergo eisdem paginis inscribentur, Dici non potest, quàm iuuet studiosos posse artificium occultum eruere, & in ratiocinationem conijcere.*

Verùm

Verùm quia apud oratores argumentationis membra sæpe disiecta turbatáq; sunt, artificium, nisi qui oculatissimus est, uidere non potest. Ita Demosthenes secunda olynthiaca colligit: Nullum regnum fraude partum est stabile: Regnum Philippi est fraude partum: ergo non est stabile. Ita Cicero pro Cælio: Nemo studiosus est libidini deditus, Cælius est studiosus, ergo non est libidini deditus. Inter innumeros, qui post Ciceronem & Quintilianum partem inueniendi tractauerunt, nemo exactiùs Rhodolpho Agricola scripsisse uidetur. In comitijs.] *Epilogus eorum, quæ de comitijs dicta sunt.* In curia.] *Senatu.* In campo.] *In campo enim Martio declarabantur renuntiabantúrque consules.* Eum mensem.] *Septembrem. Dion enim refert, Domitianum decimoquarto calend. Octobris, Caio Valente & Caio Antistio cõsulibus obtrũcatum fuisse.* Tuus natalis.] *Cui diei mortualis opponitur.* Pessimum.] *Domitianum.* Optimum.] *Neruam.* Meliorem.] *Traianum.* Nos sub oculis tuis.] *In conspectu tuo.* Augustior.] *Honoratior.* Nos inter secunda omnia.] *Hoc ad auspicia referendum est: inauspicato enim nihil agendum erat.* Super omnia.] *Liberæ uoces sub Traiano sunt, nec quisquam metu debilitatur.* Nec securitatem.] *Sub Tyrannis hi, qui magnæ authoritatis erant, periclitabantur: sub Traiano altissima est securitas.* Fastigio.] *Sublimitate.* Ea sentiamus.] *Apertam differentiam indicat inter sentire, & censere. Nam sentire, est animi: censere, oris & ore sententiam proferre. Sic suprà: Vnus solúsque censebat, quod sequerentur omnes.* Vt credamus esse Remp.] *Eam faucibus Tyrannorum exemptam, & liberatam esse.* Laboris.] *Corporis.* Curæ.] *Animi.*

In fine orationis præsides, custodésq; imperij, Deos ego Consul pro rebus humanis, ac ite precipue Capitoline

toline Iupiter precor, vt beneficijs tuis faueas, tantísq; addas muneribus perpetuitatem. Auditi, quæ malo principi precabamur: exaudi, quæ pro dissimillimo optamus. Non te distringimus votis (non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores) simplex, cunctáq; ista complexum vnũ omnium votum est, salus principis. Nec verò nouam tibi iniungimus curam: tu enim iam tunc illum in tutelam recepisti, cùm prædonis auidissimi faucibus eripuisti: Neque enim sine auxilio tuo cum altissima quæq; quaterentur, hic qui omnibus excelsior, inconcussus stetit: præteritus est à pessimo principe, qui præteriri ab optimo non potuit.

COMMENTARIVS.

In fine orationis.] *Quemadmodum orationem à precatione exorsus est, ita eandem obsecratione claudit.* Præsides custodésq; imperij.] *Nõnulli duodecim Deos tutelares enumerant, Iouẽ, Iunonẽ, Neptunum, Cererem, Mercuriũ, Vulcanum, Apollinem, Dianam, Vestam, Martem, Venerem, Mineruam.* Beneficijs tuis.] *Traiano, & reliquis bonis principibus.* Precabamur.] *Imprecabamur.* Non distringimus.] *Non distrahimus.* Salus principis.] *Salus enim principis, est salus populi.* Tu enim.] *Iupiter Traianum in suam tutelam suscepit.* Prædonis.] *Domitianum intelligit.* Quum altissima quæque.] *Allegoria est, habens metaphoram implicatam ab arboribus & altis ædificijs sumptam, quorum cacumina uentorũ impetu quatiuntur. Significat autem Plinius Domitianum clarissimos quosque uiros aut morte, aut exilio affecisse.* Hic.] *Traianus.* Qui præteriri.] *Quem Nerua præterire non potuit*

tuit, quin eum adoptaret.

Tu clara iudicij tui ſigna miſiſti, cum proficiſcenti ad exercitum tuo nomine, tuo honore ceſsiſti. Tu voce Imperatoris, quid ſentires, locutus, filium illi, nobis parentem, tibi pōtificem maximum elegiſti. Quo maiore fiducia ijſdem illis votis, quæ ipſe pro ſe nuncupari iubet, oro & obteſtor, ſi bene Rempub. ſi ex vtilitate omnium regit. Primum vt illum nepotibus noſtris, ac pronepotibus ſerues: deinde vt quandoque ſucceſſorū ei tribuas, quem genuerit, quem formauerit, ſimilémq; fecerit adoptato: aut ſi hoc fato negatur, in conſilio ſis eligenti, monſtrésque aliquem, quem adoptari in capitolio deceat. Vobis Patres C. quantum debeam, publicis etiam monimētis cōtinetur: Vos nihil in tribunatu quietis, in prætura modeſtiæ, vos in iſtis officijs etiam, quæ è ſtudijs noſtris circa tuendos ſocios iniunxeratis, cuncti conſtantiæ antiquiſsimum teſtimonium perhibuiſtis. Vos proximè deſtinationem conſulatus mei his adclamationibus approbauiſtis, vt intelligam etiam atque etiam enitendum mihi, vt hunc conſenſum veſtrum complectar, & teneam, & in dies augeā. Etenim memini tunc veriſsimilè iudicari, meruerit quis honorē nécne, cum adeptus eſt. Vos modo fauete huic propoſito, & credite, ſi curſu quondam prouectus ab illo inſidioſiſsimo principe antequàm profiteretur odium bonorum, poſtquàm profeſſus eſt, ſubſtiti: cum viderem quæ ad honores compendia paterent, longius iter malui: ſi malis temporibus inter mœſtos & pauēteis, bonis inter ſecuros, gaudēteísq; numeror: ſi deniq; intātū diligo optimū principē, inquantū inuiſus peſsimo fui. Ego reuerētiæ veſtræ ſic ſemper inſeruiam vt me, non cōſulem

lem, & mox cōſularē, ſed vt candidatū cōſulatus putē.

COMMENTARIVS.

Tu clara.] *Cùm Traianus ad exercitum proficiſceretur, templum Iouis Capitolini ingreſſus, uota nūcupaturus, à populo Rex & Imperator conſalutatus eſt. Quæ nomina Ioui etiam attributa ſunt.* Tu voce.] *Iupiter elegit Traianum Neruæ filium populi Romani parentem & ſibi Pontificem Maximum.* Pro ſe nuncupari iubet.] *Clara uoce promitti. Quo maiore fiducia. Omnes precationes tanquàm παρασκευὴ ad iſtam fuerunt.* Aut ſi hoc.] *Si Traianus liberos ſuſcipere non poterit.* Fato.] *Aeterna rerū ſerie incommutabili.* Monſtréſque aliquem.] *Scriptores rerum ſibi non cōſtant quis à Traiano cooptatus ſucceſſor fuerit. Auſonius Adrianum commemorat. Alij tradunt Traiano in animo fuiſſe, ut Neracium Priſcum adoptaret. Qua de re uidenda eſt Epiſtola duodecima lib. II. Epiſtola Plinij. Traianus etiam aliquando Seruilianum uirum doctiſsimum dignum Imperio iudicauit. Cuius rei mentio eſt libro III. Epiſtolarum Plinij, Epiſtola XVII.* Vobis P. C.) *Apoſtrophe ad patres conſcriptos.* Publicis monimentis.] *Literis, Annalibus.* Vos mihi.] *μερισμὸς κατ' ἀναφοράν.* E' ſtudijs noſtris.] *Facultate dicendi in iſtis officijs in cauſis forenſibus tractandis.* Iniunxeris.] *Senatus enim ſubinde aduocatos dabat.* Antiquiſsimum.] *Chariſsimum.* Cùm adoptatus eſt.] *Eſt in prouerbio, ἡ ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν: Id eſt, Magiſtratus hominis & mores & ingenium explorat.* Si curſu.] *Celeritate maxima ad honores.* Inſidioſiſsimo principe.] Domitiano ſubſtiti.] *Gradum in honoribus petendis repreſsi.* Longius iter malui.] *Adhuc uerſari in cauſis forenſibus.* Malis temporibus.]

Duris difficilibus. Si deniq;.] *Contentio elegans.* Ego reuerentiæ vestræ.] *Defert officium suum senatui & patribus conscriptis.* Vt candidatum consulatus.] *Hoc est, quemadmodum candidati omnem industriam & diligentiam impendunt, ut honores consequantur: ita ego obnixè Reipub. prodesse studebo.*

Hæc habui studiose Lector, quæ in hoc laborioßimo & maximo profitendi munere, ad huius Panegyrici explicationem conferre potui. Scio curiosis hominibus per omnes numeros non esse factum satis, sed labor noster æqui bonique consulendus est.

Finis Commentariorum.

LE PRIVILEGE.

IL est permis à Iaques Faure dit Fleury, Imprimeur de ceste ville de Lyon, imprimer & exposer en vente, le present Liure intitulé *Hermanni Rayani Commentarij in Panegyricum C. Plinij Secundi.* Et defendu à tous autres Imprimeurs & Libraires de ceste ville de Lyon de n'imprimer ou faire imprimer n'y exposer en vente ledit liure, sans licence dudit Iaques Faure durant le temps & terme de cinq ans, sur peine de confiscation desditz Liures, & d'amende arbitraire. Fait à Lyon le deuxieme iour de Decembre, Mil cinq cens cinquãte quatre.

I. Tignac.

INDEX RERVM,

sententiarum & locorum insignium, quæ hisce Cõmentarijs in Panegyricum C. Plinij continentur, ordine alphabetico digestus.

ADoptio certior est, quàm natura pag. 33
Adulatio, malum pestiferum in aulis principum 8
Adulatorũ mores pestiferi 118
Aequitas iuris scripti emendatrix est 198
Aetas, centum est annorum, ex legis præscripto 89
Aetas flexa quæ dicatur 20
Agesilaus moriẽs prohibuit ne quã fictilẽ aut aliâ simitatã corporis sui imaginẽ facerẽt 148
Alacer quis & vnde dicatur 54
Αλαζονεία & Εἰρωνεία quid differant 47
Alcibiades quo cõsilio caudam cani suo præciderit 87
Alpes 59
Altare, quid, & vnde dictum. Et quid ab Ara differat 6
Amicitia, quid: 213. Et ea cum delectũ suscipienda 214
Amici quàm sint necessarij diuitibus & potentibus 214
Annales 143
Annona: & illi præfecti 89 & 90
Αντιμετάβολη, quid 67
Αντίθεσις 13
Ara, quid 7
Articulus, quid 3
Augustum, quid 77
August. Tyberiũ priuignũ adoptauit, Tyberius Neronem 36
Augusti Cæsaris lex super hæreditatibus & legatis 109
August. nomẽ, ab Octauio Imp. cæteri Cæsares traxerunt 15
Aures verecundæ, item & peregrinæ quæ dicantur 180
Autoritatẽ natura aut tempus adfert 36
BAiæ 205
BBis dicere, quod rectè dicitur, nihil nocet 40
Bonũ in Rempubl. summũ est, malum, grauissimum 220
CAlẽdis Ianuarijs populus ꝓ principe vota faciebat 177
Capillitiũ alere, olim honorificum 21
Carmẽ, quid apud veteres Iureconsultos 143
Catonis Vticensis factũ in milites siti laboranteis 53
Caroli v. Imp. ἀπόφθεγμα 29
Castrensis ordo 39
Cæsar quis dicebatur antiquitus: quis item Augustus 15
Charitas, munimentũ inexpugnabile 134
Censere, quid 144
Comessationes, quid 142
Comitiorũ paradigma 167
Coràm, & Palàm, dictionũ vsus, & discrimen 5
Cœna, verb. ꝓ prãdio sumi 134
Congiarium, & Donatiuum quid differant 81
Corrigere, quid 27
Curia duplex 158
DAnubius fluuius 50
DDearum mariti 207

Decipere ſeipſum, facillimũ 193
Delatorum exilium 103
Deos propitios habere in rebus gerẽdis antiquitas ſtuduit 1 et 2
Dij oratione boni viri facilè flectuntur 14
Dij tutelares, duodecim 225
Dij & ſecũdarũ & aduerſarũ rerum euentu omnia hæc infima temperarunt 26
Dij omnia ſciunt 179
Dijs dextrũ nobis ſiniſtrũ eſt 22
Dignitas in viris: Venuſtas in mulieribus 20
Dionyſij ad citharœdum, acutum reſponſum 29
Domitianus ſe dominũ appellari inſtituit 9

E
Κατόμβαι Homericæ 22
Ἐπανάληψις, quid 64

F
Ama quid Homero 156
Fatum, quid 47
Felicitas variè à philoſophis collocata. Et quotuplex illa 192
Flamines, qui 46
Fucus quot & quibus conſtet coloribus 176

G
Enius, duplex 140
Genialis Thorus 33
Genij duo hominib⁹ inſunt 98
Germani & corporis & animi præſtantia quãtum valeãt 50
Gladiatorum origo 99
Gloria, quid 44 & 108
Gratias ago: habeo, & refero gratiam 145
Græci, καρηκομῶντες dicuntur Homero 21

H
Aereditas, quid 32
Hæres ſuus 110
Hæredum triplex differẽtia 33

I
Mperij electores limitanei dicti 50
Imperator, dominus mundi, & lex maris 16
Imperatoris nomen quiſnam antiquitus mereretur 50
Intercedere, quid. & quorum id erat 15 & 81
Ira melle dulcior 85
Iupiter cur Optimus, & Maximus dictus 7
Iupiter in Venerem putris 217 & 218
Iucunda in tribus potiſsimùm conſtant 76
Iureconſulto an neceſſaria eloquentia 37 & 38
Iuriſiurandi formula antiquitus recepta 170
Iuuentus qud primùm diſcere debeat 53

L
Ararium, quid 131
Leſę maieſtatis re⁹ quis 100
Laus vera & ſolida 53
Legio 59
Lex Voconia 119
Liberalitati quæ'nam cautio adhibenda 87
Liberorum procreandorũ cura & ſtudiũ apud Romanos, & Athenienſes 84
Libertas, vita ſeruitus, mors 11
Lictores, qui 161
Limen, quid 23
Litare, quid 140
Loci ad amplificationem facientes vſurpandi 57

M
Actare, quid. Et de hoſtia macta 129

Mag

Magiſtri qui dicantur 119
Maiores qui 2
Manus ſiniſtra æquitati ſacra. Et quid de dextra 176
Matronarũ vera ornamẽta 211
Metus malus diuturnitatis cuſtos 128
Modum in rebus ſeruare, vt omnium difficilimum, ita laude integra digniſsimũ 36 & 37
Mors, beneficium Platoni 45
Mulier ſolo inceſſu laſciuiam prodit 210
Munus, quid 142

N
Aturę an inſtitutioni plus debeamus 211
Nerua quo modo & conſilio Traianum elegerit 33
Nili ortus incertus 92
Nominis appellatione prænomẽ, cognomẽ, & agnomẽ, antiquitus comprehendebantur 38
Nutare quid 23

O
Bſtinare, quid 24
Omen, quid 23
Oratio creſcit interrogatiõe 156
Oratoribus familiaris eſt inuocatio 7
Ordo caſtrenſis 39
Ordo quinam antiquitus obſeruatus in ſpectaculis 138

P
Annonia duplex 34
Pantominus 528
Paria facere, quid 29
Patris patriæ nomen qui promeruerint 72
Patres conſcripti, vnde, & cur dicti 2
Patronorum & clientum neceſsitudo 75
Peculiare, quid 102
Peierare non licebat per genium Principis 140
Penates & Lares, quid differant 77
Penſitationũ tria genera apud Antiquos 90
Perturbatio omnis aut eſt boni, aut mali 220
Piſones, vnde dicti 217
Plato hominem homini præficiendum negat: ſed principem, tãquàm diuinum quoddam animal 16 & 17
Platonis opinio de anima 4
Platonis ſnia de numinibus 7
Plotinæ laus 210
Pontifices in triplici fuerũt differentia 170
Præmia & pœnæ Ciuitatem in concordia retinent 124
Princeps ſecũdum leges viuere debet illis aliôqui ſolutus 80
Princeps qualiseſſe debeat 1130
Princeps non debet quenquam triſtem à ſe dimittere 201
Principis aures, teretes & religioſæ 12
Principem non mediocriter ornat proceriorcorporis ſtatura 20
Principem abſentem deſiderare, iucundius, quàm præſente frui 215
Principes fato dantur generi humano 5
Principum genij duobus ſerpentibus pingebantur 140
Publicani qui: & vnde dicti 112
Pudor, quid 192

Pulu

Puluinaria,quid 32
Pulchritudinis duo genera 20
REgius ingressus 43
Remulcus,quid 205
Repræsentare,quid 81
Reip.salus,legibus nititur 106
Rerũ summa, exactis regibus ad consules reuocata 3
Roma tribus olim alebatur 92
SAcrosanctũ, quid dicatur 36
Sanctũ,quid dicat,& vnde 4
Secta,quid 126
Senatusconsultum, species iuris scripti 14
Seruitus, & item Libertas immoderata,mala 49
Simile simili gaudet 125
Somni immodici ratio 56
Spoliarium,quid 105
Strages,quid 133
Styli quotuplex differentia 51
TEmpestas,quid 25
Tentorium, quid 55
Testamentum, quid 102
Tertiò Consul,& Tertiùm Cõsule, quid 146
Tracum in mortuos ritus 44
Traianus Germanici cognomẽto quando donatus 38
Traian⁹ πατρικίαν cõcedebat 8
Traiani humanitas 9
Traiani gesta & in toga & in armis 19 & 20
Traiani incessus 74
Traiano Opt.cognomẽ iditũ 23
Traianus quoto ætatis anno regnare cœperit 20
Traiani modestia in Imperio recusando 25 & 41
Traia.electio à Neruavt facta 33
Traiani moderatio ĩ iuuẽtute, & prudentia in senectute 58
Traiani vitã,prudẽtiã in imperijs & magistratib⁹ gerẽdis, rẽq; publica administrãda, cõsiliũ domi & militiæ,petas è prolegomenis. vbi & de statu causæ,orationis genere,& ceteris ad partem pertinentibus fusissimè agitur
Tribunus militũ, vnde dict⁹ 60
Tribuni inuiolati & sacrosancti antiquitus habiti 36
Triũphare,vnde ductũ 48 & 49
Triumphi falsi insignia 66
Turbo,quid 25
Tutelæ officum quot & quibus gradibus olim distinguebatur 75
Tyrãnus,olim honestũ verbũ 9
VEritas, amica simplicitatis 176
Vetustas omnia conficit & consumit 147
Vicissitudo omnium rerum 26
Vindicare,quid 34
Virtutes maximæ,quæ 52
Virtutes inter se connexæ & cõiunctæ sunt Stoicis 156
Virtutum & vitiorum quædam est vicinitas 18
Vxor prudens aut domi alenda,aut certè nulla 208

Finis Indicis.

LVGDVNI,
Excudebat Iacobus Faure.